



Hunc librum Musis
suis inservientem
iure possidet
Theodor Mahlmann



10.

Handwritten signature or mark in red ink, possibly 'H. Mahlmann'.

ARTICULI
Christianæ Religionis,
DE LEGE ET
EVANGELIO,

Ex Scripturæ sacre fundamentis
extracti, & forma Quæstionum
ac Responsionum per-
tractati.

CONFUTATIS ETIAM PON-
TIFICIORUM, ANTINOMORUM,
Calvinianorum, aliorumq; novatorum
erroribus, & quibus eos palliant,
rationibus & argumentis.

AUCTORE P. M.

ÆGIDIO HVNNIO,
S. S. THEOLOGIÆ DOCTORE,
Pastore olim & Professore
Witebergensi.

Cum Gratia & Privilegio Electoris Saxonie.

WITTEBERGÆ

Typis Mullerianis, Impensis Iohan. Jacobi
Porsij, Bibliop. Francofurtensis.

M. DC. VI.

DE LEGE.

Quid est Lex?

EST certa quaedam constitutio sive san-
ctio, ligans ad obedientiam eos, qui-
bus illa praescribitur, & poenam sta-
tuens his, qui eam violant.

Quotuplex est Lex?

Docendi causa potest distribui in legem Dei,
legem naturae, & legem humanam.

Quid est Lex Dei?

Quam fert & praescribit Deus ipse in verbo
suo, docens quales nos esse, quid facere, quid o-
mittere conveniat.

Quid nominas Legem naturae?

Quae mentibus hominum impressa est, ut sunt
notitia de Deo, Rom. 1. de cultu honestatis, & vi-
cissim de scelerum vitiorumq; fuga, Rom. 2. cum
gentes legem non habentes, naturam fecerint ea, quae
sunt legis, ostendunt opus legis scriptum in cordi-
bus suis. Atq; haec naturae lex cum lege morali con-
gruit, interim tamen perfectione longissime in-
fra moralem legem Dei subsidit.

Quomodo perfectione?

Quia lumen illud naturae de Deo hominum a-
nimis inditum in creatione hominum sic per sub-
sequentem lapsum obscuratum est, ut vix tenuis

quaedam scintillula remanserit. Præterea lex natura, qualis jam est post lapsum in externa obedientia in solidum acquiescit, nec agnoscit aut damnat vitiatam naturam, ut nec interiores pravos & inordinatos motus cordis, concupiscentiam &c: quæ tamen omnia lege Dei morali rigidissime prohibentur & damnantur.

Quid est lex humana?

Quam homines sanciant in externis. Quæ si à præscripto divini verbi non dissentiat, neque sub opinione cultus aut meriti obtrudatur, sed ad regendam disciplinam, vel in Ecclesia vel in Politia condatur & proponatur, ab his qui in potestate sunt positi, neque humana facultatis vires excedat, damnanda non est, sed eidem parendum etiam propter conscientiam, ut Apostolus testatur.

Quid est lex divina Mosaica?

Est doctrina à Deo per Moysen lata, requirens ab omnibus hominibus totius naturæ rectitudinem & conformitatem cum Deo Archetypo: peculiari-ter insuper præscribens Israëliticæ genti in Ecclesia quidem ritus & ceremonias, in vita civili vero certam regendæ politia formam, juxta quam Respub. Israëlitarum gubernanda erat.

Cum ex hac definitione pateat, non unius esse generis omnes leges Mosaicæ,
scire cupio quotuplex sit
lex Mosaica?

Triples. Moralis, Ceremonialis & Forensis.

DE

DE LEGE MORALI.

Moralis lex quid est?

Est doctrina hominibus in prima quidem creatione indita, sed per lapsum vehementer attenuata, à Deo autem per Moſen inſtaurata & illuſtrata, requirens non tantum externum obſequium, ſed etiam obedientiam internam cordis, hoc eſt, mandans perfectam dilectionem Dei ſimul & proximi: cultoribus quidem ſuis præmia, tranſgreſſoribus autem pœnas temporales & perpetuas decernens.

Quibus verbis concepta & comprehenſa eſt lex Moralis?

Comprehenſa eſt in Decalogo, quem Deus inter horrenda fulgura & tonitrua cœlitus è monte Sinai revelavit, ſuaq; voce ſolemniter recitavit, quin & digitis ſuis ſcriptum & in duas tabulas interſtinctum Iſraëlitis per Moſen tradi voluit.

Dixiſti in definitione: Legem Moralem mandare internam & perfectam obedientiam: Atqui ipſe ſonus plerorumq; præceptorum Decalogi videtur in externo ſubſiſtere obſequio?

Quòd præcepta Decalogi non verſentur in ſuperficie externa duntaxat obedientia, ſed univerſe naturæ integritatem perfectiſſimumq; obſequium efflagitent; teſtatum nobis facit luculenta expoſitio Salvatoris Matth. 5. Qui præcepto

quinto, non occides, etiam internam commotionem cordis, iram videlicet prohibitam esse declarat, & præcepto Sexto cordis quoque adulterium damnat, concupiscentiam uxoris alienae, quantumvis illa concupiscentia in externum opus non erumpat.

Responderi forsan queat, Christum sub Euangelio perfectiorē tulisse legem, quam Moses olim tulerit. Id enim videtur subindicare Antithesis ipsius: Audistis quod dictum sit antiquis: non occides. At ego dico vobis &c.

Antithesis Salvatoris Christi, non legem Moysi tanquam imperfectiorem cum Christi explanatione contendit, sed legem illam Mosaicam genuino sensu explicatam cum corruptelis Pharisæorum & constitutionibus seniorum committit. Quod autem perfectiorem legem Christus tradat legem Mosaicam, id oppidò absurdum est. Num enim putabimus Deum sub Euangelio, hoc est, sub regno gratie rigidiores nobis dicere leges, quam sub servitute Legis Mosaicæ? Aut num ita mutabilem constituemus Deum, ut Novi quidem Testamenti tempore præter externa peccata damnet in super cordis internam immundiciem, sub Mose autem hanc impuritatem cordis interiorem non magnoperè curaret, nec ulla lege improbarit aut damnarit. Imò est Deus ut in Essentia, sic & in voluntate sua immutabilis, ideoque nunquam non detestatus est, nunquam

DE LEGE

7

quam non prohibuit interiorē illam Spiritus atq^{ue} mentis impuritatem. Sunt autē prater hæc etiam alia, quibus firmissimè demonstratur, Deum jam olim sub Mose in Decalogi verbis absolutissimam præcepisse obedientiam, ipsiusq^{ue} adeo cordis & nature puritatem undiquaq^{ue} perfectam.

Ea velim commemorari ?

Docent hoc duo præcepta ultima : Non concupisces domum proximi tui, Non concupisces uxorem proximi tui, nec universa quæ illius sunt. Unde liquet interiorē quoque concupiscentiam rerum prohibitarum, licet in externum opus non erumpat, voce Decalogi esse damnata. Adhæc Moses observantiam præceptorum Decalogi in recitanda illorum summa vult proficisci à toto corde : Diliges Dominum Deum, ex tota mente, tota anima, toto spiritu, & ex omnibus viribus, Deut. 6. Et diliges proximū tuum sicut teipsum. Levit. 19. Quibus sententijs universam legem contineri Christus in Evangelica historia aliquoties testatur. Quamobrem & Moses iram & odium corde conceptum expressè prohibet ac damnat, Levit. 19. hisce verbis : Ne odio habeas fratrem tuum in corde tuo. Item : Non reservabis odium contra filios populi tui, sed diliges proximum tuum sicut teipsum. Quin usq^{ue} adeo vult omnem etiam cordis rancorem ab homine alienum esse, ut etiam jumento inimici benefaciendum esse præcipiat. Si occurreris bovi ejus,

A 4

quò

qui est tibi inimicus, aut asino ejus erranti, reducendo reduces eum illi. Si videris asinum odio habentis te decumbentem sub onere, auxiliando auxiliaberis illi, Exod. 24. Quae omnia declarant eam requiri in lege perfectione obsequij, ut etiam inimica cordis affectio in proximum concepta disertissime prohibeatur, & vicissim ex praescripto legis praecipitur diligendus proximus eo perfectionis gradu, quo quisque seipsum diligit & completitur. Ante omnia vero diligendus Deus ita perfecte, ut nunquam in eum ulla vel minima cogitatione cordis peccetur. Quod, quid aliud est, quam ea de qua loquimur absoluta obedientia? Quapropter & apostolus Paulus legem Dei scribit esse spiritualem, Rom. 7. hoc est, requirere consummatam obedientiam ab integro spiritu hominis perfectaque mente praestita.

Quoniam per Mosen jam olim sub veteri populo tradita lex est, de diligendo proximo: cur ergo Christus dilectionem tuam discipulis commendans appellat praecipitum novum,

Joh. 13. & 15. &

Iohannes Euangelista, qui mentem Christi quam rectissime intellexit, praecipitum de dilectione nominat & vetus & novum, secundum differentes respectus, quibus explicatis, patebit sponte quid ad propositum quasitum responderi conveniat. Dicitur ergo lex de dilectione praecipitum

DE LEGE.

prum Vetus, quia sub Veteri quoque Testamento
traditum. Novum autem dicitur partim quia
jam ipsius Christi exemplo & mandato nobis com-
mendatum & renovatum est: partim verò ac po-
tissimum idè, quia sub Veteri Testamento fuit ea
lex multiplicium ceremoniarum mole sic circun-
data & gravata, ut esset jugum importabile, te-
ste Petro Actor 15. Quin dilectionem ipsam lex
Mosaica non acceptat, nisi omnibus numeris atq;
modis absolutam, in qua ne tantillum quidem de-
siderari queat, torquens fulmen maledictionis in
eos, qui non manent in omnibus quæ scripta sunt in
volumine legis, ut faciant ea, Deut. 27. At Chri-
stus eandem hanc legem de diligendo proximo ab
illo legum ceremonialium jugo separavit, ut nunc
abrogatis ceremonijs, præter fidem & charitatem
nihil à nobis exigat, 1. Iohan. 4. Præterea non
exigit Christus à suis fidelibus charitatē in sum-
mo illo perfectionis gradu & rigore, quo Moses:
sed clementer acceptat inchoatam etiam charita-
tem, dummodò vera sit & non simulata. Et præ-
statur hoc Christianæ dilectionis obsequium non
jam secundum vetustatem literæ, sed juxta no-
vitatem Spiritus, Rom. 7. Ita ut non sit servile
obsequium comminatione legis extortum, sed
obsequium spontaneum à libero spiritu profectum.
Quapropter jam est Christi potius, quam Mosis
præceptum. Mosis enim præcepta nobis impossi-
bilia sunt. Christi verò præcepta gravia non sunt,
1. Iohan. 5. quia non requirit à nobis consumma-

tam obedientiam, quam ipse pro nobis aeterno Patri exsolvit, sed contentus est nostris obsequijs, quantumvis adhuc imperfectis. Unde hanc legem Christi Paulus fidelibus impletu non esse impossibilem ostendit Gal. 6. Alter alterius onera portate, & sic legem Christi implebitis.

Possumus ne adimplere legem Decalogi, eiq; ad plenum satisfacere?

Ita quidem Pontificij impiè decernunt, posse videlicet hominem renatum & justificatum perfectam legi divinae prestare obedientiam. Sic enim Concilium Tridentinum asserit. Nemo quantumvis justificatus liberum se esse ab observatione mandatorum putare debet. Nemo temeraria illa & à Patribus sub anathemate prohibita voce uti, Dei praecepta homini justificato ad observandum esse impossibilia. Nam Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat ut possis, cujus mandata gravia non sunt, cujus jugum suave & onus leve.

Et in Canone ejus Concilij 18. sic concluditur: Si quis dixerit, Dei praecepta homini etiam justificato & sub gratia constituto, esse ad observandum, impossibilia, anathema sit.

An

An non videntur verum
decernere?

Equidem si Pontificij prius ostenderint, homines iustificatos amplius peccatores non esse, tum obtinebunt, etiam legem ab eis prestari perfecte posse. Esse autem & manere etiam iustificatos homines toto vitæ tempore peccatores, potentissime confirmat Sanctorum Dei virorum unanimis vox atque sententia. Iob certe fatetur, Si Deus ligare velit cum homine, non posse ei ad mille unum responderi, Iob. 9. cap. David Psal. 19 exclamat, Delicta quis intelligit, ab occultis meis munda me. Rursum Psal. 130. Si iniquitates observaveris Domine, quis sustinebis? Idem restatur Salomon, Proverb. 20. scribens, Quis potest dicere, mundum est cor meum, & purus sum à peccato. Suffragatur & Apostolus Paulus: Omnes peccavimus, & egemus gloria Dei, Rom. 3. Atque iterum Gal. 3. Concluserit scriptura omnia sub peccatum. Hinc Divus Iohannes pronunciat: Si dixerimus, peccatum non habemus, fallimus nos ipsos, & veritas in nobis non est. Quoniam autem Pontificij hoc Pharisaicum dogma de possibilitate impletionis legis magna contentione urgent: Placeat id aliquot argumentis ordine recitandis evertere. In præsertim, quorum videlicet supremas lineas pauld ante duximus.

Dic

Dic ergo primum argumentum?

Primum sumitur ex legis interpretatione per Moſen ipſum tradita hoc pacto:

Qui perfectè cupit implere legem, ei neceſſe eſt, ut perpetuo quodam tenore Dominum Deum ſuum diligat ex toto corde, tota anima, tota mente, totisq; viribus, proximum verò (cujus nomine quivis homo etiam inimiciſſimus notatur, Matth. 5.) ut ſemetipſum.

Nemo autem omnium renatorum poteſt tanta perfectione diligere Deum, nec poteſt proximum, ſuos præſertim inimicos intimo illo charitatis affectu & perfectionis gradu proſequi, quo ſeipſum complectitur: quod tam manifeſtum eſt, ut à Pontificijs etiam nulla ratione negari nulloq; colore obſcurari queat.

Ergo nullus omnium renatorum aut juſtificatorum valet in hoc ſeculo Dei legem adimplere.

Secundum argumentum profer?

Qui de perfecta totius legis impletione gloriari præſumit, is non quædam duntaxat, ſed omnia ſingulaq; Decalogi præcepta, atque ſic ea etiam quæ omnem illicitarum rerum concupiſcentiam & appetitionem porhibent, ſervare neceſſe habet. Aliàs enim, qui offenderit in uno, omnium erit reus, Jacob. 2.

Iam

Iam verò etiam justificatis impossibile est in hac vita, ut concupiscentiam rerum illicitarum ex suo corde penitus exterminent, ne unquam ulla rei aliena concupiscentia animũ illorum subeat.

Ergo impossibile etiam illis est legi Dei ad plenum satisfacere.

Minorem petunt sibi probari
Pontificij?

Ea quidem per se apud omnes, qui non prodigiosa hypocrisi laborant in confesso est, testimonium habens omnium regeneratorum sensum & experientiam, qua luctam carnis & spiritus in semetipsis sentiunt, respectu cuius caro illorum adversus spiritum concupiscit. Quemadmodum Paulus ad renatos scribens, Gal. 5. ait: Spiritu ambulate & concupiscentiam carnis non perficietis. Nam caro concupiscit adversus spiritum, Spiritus autem adversus carnem: Hæc inter se mutuo adversantur, ut non quacung; volueritis, eadem faciatis. Hæc verba de hominibus utiq; renatis agunt, qui Spiritu ambulant; atq; nihilominus perspicue docent esse talem luctam carnis contra spiritum concupiscentis in renatis, ut impediantur, quò minus perfecte faciant ea, quæ secundum legem facere conveniebat. Et quia concupiscentia hæc etiam justificatis adscribitur in hoc Apostolico dicto: declarantur simul mandatorum legis transgressores; Non concupisces.

Ter.

Tertium argumentum quod est?

Petitur id ex perspicuis testimonijs Spiritus sancti, Rom. 8. ubi φσώνηα carnis inimicitia esse scribitur adversus Deum, & quod legi ne quidem possit subijci. Aut ergo justificati carnem plane exuerunt, quod absurdum est, aut si & his caro tribuitur de eodem sensu concedatur necesse est, quod sit inimicitia adversus Deum, & quod legi divinae non modo subijciatur, sed ne possit quidem, ut Apostoli verba sonant, subijci. Sic ad Gal. 3. dicitur: Si data fuisset lex, qua vivificare possent, verè ex lege esset justitia. Sed conclusit scriptura omnia sub peccatum, ut ex fide promissio Jesu Christi daretur credentibus. Hanc ob causam toties sancit ac definit Apostolus, non justificari ex operibus legis ullam carnem, id est, nullum hominem. Vnde sequitur, ne renatos quidem (sunt enim & hi numero hominum comprehensi) ex operibus legis justificari posse. Iustificarentur autem ex operibus legis, si totam servare possent, secundum illud; Si vis vitam ingredi, serva mandata. At disertè negat Apostolus, ullum hominem ex operibus legis justificari atque sic ne renatos quidem. Sequitur igitur ne hos quidem perfectam legi divinae prestare posse obedientiam.

Quartum argumentum profer?

Sumitur id ex communi illa voce, sententia & confessione Sanctorum omnium, de qua & supra dictum est. Qui, licet justificati & renati cum

se profiteantur peccatores hoc ipso se legis transgressores fateantur necesse est. Quod argumento à conjugatis deducto amplius ostenditur: Peccatum est ἀνομία, id est, legis transgressio. Ergo peccator est legis transgressor. Quoniã verò etiam renati sunt peccatores, in medio statu novæ suæ obedientiæ, rectè hinc insertur, quòd sint etiam legis transgressores in medio illo statu novæ suæ obedientiæ.

Proba quòd renati sint peccatores, etiam post factam justificationem?

David homo renatus & vir secundum cor Dei canit Psal. 19. delicta quis intelligit, ab occultis meis munda me. Et Psal. 38. Iniquitates meae supergressæ sunt caput meum, sicut onus grave graviores fuerunt mihi. Rursum Psal. 143. Ne intres cum servo tuo (utiq; renato) in iudicium, quoniã non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Sub qua universali (omnis vivens) absque omni dubitatione renati quoq; comprehenduntur. Et quid respondebunt Pontificij de Esaia viro & Propheta Dei sancto, renato & justificato, qui capite 6. visione cœlesti territus inquit: Væ mihi, quia obticui, nam vir pollutis labijs sum ego & in medio populi polluti labijs habito. Ne autem quis pollutionem hanc secus, quàm de peccato interpretari posset, meminit historia unū ex Seraphim carbone ignito tetigisse labia ejus & dixisse:

Eccg

Ecce tetigi hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua & peccatum tuum mundabitur. Hinc idem Prophet a adeo se peccatorum numero non eximit, ut disertè scribat cap. 64. sumus ut iniqui omnes, & tanquam inquinatum vestimentum omnes iustitia nostra. Sic & D. Petrus in statu nova obedientie profitetur ingenue se peccatorem, Luc. 5. Exi à me Domine, homo enim peccator sum. Sic Paulus Corinthijs, quos primo capite in renatorum Catalogum adscriperat, intemperantiam adhuc inherere perhibet, quam peccatum esse nemo sanus negaverit. Etenim scribens conjugibus ait: Ne fraudetis vos invicem, nisi si quid ex consensu pro tempore, ut vacetis jejunio & precationi, & rursus in unum conveniatis, ne tentet vos Satanas, propter intemperantiã vestrã, 1. Cor. 7. Et universale est, quod habet Solomon, Prov. 20. Quis potest dicere, Mundum est cor meum, mundus sum à peccato? Quodq; Iohannes refert, 1. Epist. 1. Si dixerimus, quod peccatum non habemus, fallimus nos ipsos, & veritas in nobis non est. Vbi notandum verbum presentis temporis ἔχωμεν, habemus, ne quis obstrepat de præteritis peccatis, ante justificationem admissis verba fieri, sed ut liquido constet in presenti nos esse peccato obnoxios. Ex his ergo testimonijs & exemplis quia perspicuũ est, etiã justificatos esse peccatores, relinquatur esse illos divina legis transgressores, & proinde falli Pontificios, quod justificatis legem Dei observatu possibilem esse dictuant. Quod

Quod est quintum argumentum?

Id speciatim ab exemplo D. Apostoli Pauli deducitur, quod vel solum ad jugulandum Antichristianum dogma Romanensium sufficere queat. In ad Rom. 7. de se renato hanc querelam instituit: Scimus quod Lex spiritualis est, at ego carnalis sum, & venditus sub peccatum: quod enim ago non probo, non enim quod volo hoc facio, sed quod odē hoc ago: Si verò quod non volo hoc facio, consentio legi quod bona sit: Nunc autem non jam ego perpetro illud, sed inhabitans in me peccatum: Novē enim quod non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum. Nam velle adest mihi, at ut faciam bonum, non reperio: non enim quod volo facio bonū, sed quod nolo malum hoc ago: Reperio igitur per legem volenti mihi facere bonum, quod mihi malum adjunctum est: Delectat enim me Lex Dei secundum internum hominem, sed video aliam legem in membris meis, rebellantem legi mentis meae, & captivum reddentem me legi peccati, quae est in membris meis. Loqui autem Apostolum de se, qualis tum erat cum hac scriberet, renatus scilicet, evidentius est ex ipso tenore atq; sono textus, quam ut ullam probationē desideret. Cum ergo Paulus sonora voce praedicet, velle quidē adesse sibi, sed ut faciet bonū se non invenire: Item, legem esse spirituale, se verò carnalē, venditū sub peccatum, à quo captivus reddatur legi peccati: Necessario falsum sit dogma oportet Papisticum, quo iustificatis facultas implendi legem adscribitur.

B

Sextum

Sextum argumentum profer?

Sumitur id ex loco caussarum & effectuum.
 Si enim perfectè quisquam in hoc seculo legem
 Dei servare aut implere posset, hoc ipso planum fi-
 et, eum peccato amplius obnoxium non esse, &
 proinde nec morti subjectum: Siquidem mortis
 imperio nemo subjacet, nisi actu sit peccator, se-
 cundum illud ad Rom. 6. Stipendiū peccati mors.
 Et 1. Cor. 15. aculeus mortis peccatum. Quia ve-
 rò & scriptura & experientia contestantibus,
 etiam sanctissimi quiq; moriuntur: indubitatum
 argumentum est ipsos esse peccatores, & proinde
 legis non imitatores, sed transgressores, siquidem
 ad solam divinæ legis transgressionem sive pec-
 catum mors sequitur.

Quomodo autem constabit justitia Dei, si
 præcipiat impossibilia? siquidem is Ma-
 gistratus justitiæ laudem retinere nequit,
 qui leges condit subditorum viribus
 impares, præsertim si pœnæ
 comminationem an-
 nectat?

Constat Deo nihilominus sua justitia, ut ma-
 ximè requirat universæ legis absolutam obedien-
 tiam. Ratio est, quia contulit ipse homini in crea-
 tione vires ad obediendum integras. Proinde
 quod dedit, id ipsum tanquam suum à nobis justè
 repetit. Et hæc diversitatis manifesta ratio est, ob-
 quam simile de magistratu dicente leges subditis
 obser-

observari impossibiles huc non quadrat: Magistratus enim vires eis ad obediendum non largitur, sicut Deus in creatione contulit vires undiquaque perfectas.

Esto: militet hæc responsio ratione primorum parentum, quibus vires eas dedit: Nihilominus hærebit quæstio indissoluta respectu posterorum, quibus illa facultas ad obediendum data nunquam est?

Imò nobis quoque in persona primorum parentum facultas hæc concessa fuit. Adam enim si persistisset in bono, propagaturus erat id, quod à Deo acceperat, & ut ipse conditus erat ad imaginem Dei, justus, sanctus & perfectus, sic ad eandem imaginem Dei genuisset filios itidem justos, sanctos & perfectos. Hoc bonum quia transgressione mandati prodegit, & amisit, non id sibi soli amisit, sed omni suæ posteritati, haud aliter ac si quis Vasallus per inobedientiam erga feudi Dominum excidit feudo, is non sibi soli, sed & heredibus suis id amittit, quemadmodum non ipsi soli, sed in ejus persona posteris quoque sive heredibus concessum erat. Et quemadmodum is, qui alteri mutuo dat certam pecunie summam, si eam prodigat debitor, ut solvendo amplius non sit, jure optimo non ab ipso tantum, sed etiam ab heredibus debitum illud exigere potest: Sic Deus justè repetit à nobis Adami posteris, quod in nos derivandum erat, si non funestus ille Protoplastorum lapsus intervenisset.

Ad Rom. 2. dicitur: Circumcisio prodest,
 si legem servares: Quòd si transgressor le-
 gis fueris, circumcisio tua in præputium
 versa est. Quoniam ergo Abrahamo sua
 profuit circumcisio, sequitur quòd
 non fuerit legis transgressor,
 sed perfectè illam
 impleverit?

*Distingue tempora, & concordabunt scriptu-
 ra. In Veteri Testamento ex instituto Dei vige-
 bat circumcisio, qua mediante Deus homines in fœdus
 gratiæ recipiebat. Non inquit autem fœdus gratiæ
 sue citra interpositam satisfactionem legis perfe-
 ctam. Non enim misericors est, nisi in sua justitia,
 quæ legis exactissimum complementum requirit.
 Hanc obedientiam exactam & perfectam quia
 Abraham & posteris legi exsolvere non valebant,
 nil quicquam eis profuisset circumcisio, nisi obedi-
 entiam alienam à Messia olim præstandam fide
 apprehendissent. Sic circumcisio proderat perce-
 pta fide apprehendente, ut dictum est, alienam
 satisfactionem. Quoniam autem circumcisio Sa-
 cramentum erat Veteris Testamenti, atque sic
 Christum respiciebat non carne præsentem aut
 exhibitum, sed in plenitudine temporis exhiben-
 dum: Ideò, manifestato jam & exhibito illo, abro-
 gari debuit Circumcisio. Postquam verò induratò
 Iudei retinebant illam, ut necessariam, atq; in-
 terim negabant signaculum esse justitiæ fidei ap-
 prehen-*

prehendentis perfectam obedientiam Christi: propterea ostendit Apostolus, nisi ipsimet legem perfectissime servant, nihil eis conferre aut prodesse posse eam, quae manibus fit circumcisionem. Cum qua expositione exacte congruit, quod ad Gal. 5. dicitur: Contestor omnem hominem, qui circumciditur, quod debitor est, totius legis servandae, Christus vobis factus est ociosus, quicumque per legem justificamini, à gratia excidistis.

De Noa quomodo justus & perfectus praedicetur Gen. 6. dictum est circa finem loci de libero arbitrio. De Josia Rege autem quaeritur, an non perfecte legem servavit, cum dicat scriptura 2. Reg. 23. quod similis illi non fuerit Rex, qui reverteretur ad Dominum Deum suum in omni corde suo, & in omni anima sua, & in universa virtute sua, juxta omnem legem Moysis?

Sensus hujus encomij est, quod Josias Deum coluerit non simulate, sed vere & ex animo, reversus ad Dominum corde integro & sincero, deijciens Idololatriam, & verum vicissim cultum instaurans flagrantissimo zelo & ardentiore cordis affectu, quam ullus ante vel post eum rex fecerat. Quod autem additur, juxta omnem legem Moysis, non id ad exactissimam illam perfectionem, quam in lege Morali Moses efflagitat referendum est: sed ad integritatem instaurati cul-

rus, quod nullam ejus partem neglexerit, nec eorum quicquam pratermiserit, quae de abolitione impietatis idolatricae & instauratione veri cultus Moses in lege praeceperat. Proinde particula haec (juxta omnem legem Moſis) non ad absolutam legis Moralis obedientiam pertinet, sed juxta subjectam materiam ad reformationem in universo regno à Iosia Rege susceptam, id quod praecedens historia atque textus manifestè testatur. Quod autem Iosias non omni ex parte perfectus, nec à cunctis infirmitatibus peccati liber undiquaque fuerit, ostendit lapsus ejus, quod contra voluntatē Domini Aegyptio Regi bellum movit non necessariū, in quo etiam occubuit, quemadmodū eodem in loco Spiritus sanctus commemorat. De Zacharia & Elisabetha Lucas primo capite praedicat, quod fuerint ambo justi coram Deo, versantes in omnibus praecipis & justificationibus Domini irreprehensibiles. Perfectū igitur obsequiū legi divinae videntur exsolvisse?

Primo quod justi dicuntur, Zacharias ipse in suo Cantico id elogiū de imputata justitia fidei enarrat, palam testificans, se justitiae suae summam habere defixā in illo exoptato cornu, quod in domo Davidis erigendū sit, adeoque in gratuita remissione peccatorū per viscera misericordiae Dei nostri, quibus visitavit nos oriens ex alto. Fuerunt itaque justi coram Deo, expectantes fide redemptionem Israelis, omnemque fiduciam collocantes in Messia, quod

quod præter cationem Zachariae docet in super
 uxoris ejus Elisabethæ confessio, quando infantem
 in utero Mariæ virginis conceptum fideli corde Do-
 minum suum appellat. Ex hac justitia fidei im-
 putata nata deinde est justitia novæ obedientiæ
 inchoata, ut versarentur in omnibus præceptis &
 justificationibus Domini, & quidem, ut textus ha-
 bet, irreprehensibiles: Non quod Deus non ha-
 beret, quod in eis reprehenderet, qui etiam in san-
 ctis suis invenit, quod reprehendat, Job. 15. Sed
 irreprehensibiles erant coram hominibus, sanctam
 & inculpata[m] agendo conversationem, & à pec-
 catis, quibus homines offendi possent, summo stu-
 dio abstinendo. Coram Deo autem non aliter irre-
 prehensibiles erant quam respectu justitiæ Christi
 per fidem eis imputatæ, & quatenus id quod in
 illorum novæ obedientiæ reprehendi justè poterat,
 sanguine Christi tegebatur, quodq[ue] deerat illor[um]
 obsequijs, id obedientiæ per Christum Salvatorem
 præstita cumulatissimè compensabatur.

Qui diligit proximum suum ut seipsum,
 legem implevit. Moses autem & Paulus pro-
 ximum suum, hoc est, populum uterq[ue] su-
 um plus etiam dilexit quam semetipsum:
 ille quidem optans pro Israëlitis è libro vitæ
 deleri, Exo. 32. hic autem pro Judæis à Chri-
 sto anathema esse, Rom. 9. Ergo Moses &
 Paulus legem Dei perfectè servarunt, imò
 plus etiam præstiterunt, quam Lex efflagi-
 tavit.

Vno aliquo actu Lex Dei non impletur: sed requiritur perpetua & ad vitæ usq; finem continuata nulloq; momento temporis interrupta perfecta legis observatio, hoc est, dilectio non proximi solummodo, sed imprimis Dei. Imò nec huius vel illius duntaxat proximi, sed omnium omnino hominum etiam genere ac gente alienorum, quia & inimicorū, uti Christus docet Matth. 5. Quamvis ergo votum utriusq; viri Dei fuit singularis quidam impetus Spiritus sancti planè heroicus, quod proprio exitio populi sui interitum avertere minimè recusabant, tamen quia solius proximi dilectio non est totius legis impletio (siquidem ad hanc etiam dilectio principaliter requiritur) & impetus ille heroicus non omni tempore pariter in eis fervebat, nec ad omnes, ut lex postulat, sed ad certos quosdam eosq; cognatos secundum carnem dirigebatur: idcirco ex hoc unico actu astruere non licet, quòd universam legem plenaria observatione compleverint.

Paulus ad Romanos 7. scribit, non se facere malum, quod oderit, sed inhabitans in se peccatum. Cùm ergo residua infirmitatis peccata non tribuantur renatis ipsis, sed peccato habitanti in carne illorum: sequitur ipsos per se & in se perfectè renatos esse?

Quando Paulus ait, non se facere malum, non hoc docere vult, quòd ipsemet ratione persone sua
confi-

consideratus malum illud non faciat. Quomodo enim constaret quod sub finem capitis inquit: Idem ego mente quidem servio legi Dei, carne verò legi peccati. Quæ verba (Idem ego) irrefutabiliter evincunt, ipsum hunc Paulum & non alium, qui secundum interiorem hominem servit legi Dei, servire carne sua, (quæ certè renati Pauli caro est) legi peccati, atq; sic Dei legem minimè adimplere. Phrasis autem Apostoli à Pontificijs allegata hoc tantùm innuit, quod peccatum Paulo adherens jam pro alieno habeatur, partim quia præter omnem voluntatē Paulo illud adjacet, invito ac dolenti, & quia insuper id ei propter meritum Christi non imputatur ad condemnationem, quemadmodum querelæ suæ hæc ceu letam coronidem adjicit: Nulla igitur nunc est condemnatio his, qui insiti sunt Christo Iesu, Roman. 8.

Constantné sibi Pontificij, quando consummatam impletionem Decalogi hominibus renatis adscribunt?

Imò sibi minimè constant. Si enim censerent verum esse, quod renati possent ad exactissimam illam perfectionem lege Decalogi requisitam pertingere, nonné jam omnem dubitationem de gratia Dei abijciendam esse statuerent. Iam verò ipsimet alio quodam & huic de quo disputamus contrario errore decernunt, neminè ne renatum

quidem certò statuerè posse aut debere, quòd sit in gratia Dei. Vnde liquidissimè patet, quòd proprie sue causse fidant minimè. Si quis enim totam legem præstat, quidni certus esse queat de gratia Dei, utpote quam Deus infallibili promisso spopondit his, qui legis factores sunt undiquaq; perfecti. Iam verò dum Papistæ de gratia Dei dubitant, & dubitandum docent etiam renatis: nonne trepidantis conscientie testimonio convincuntur, non nisi falso & inani titulo perfectam legis jactari obedientiam: quæ ubi regnat, omnem certè dubitationem de Dei favore vitæq; æternæ consecutione penitissimè secludit.

Matth. 5. Scriptum est: Estote perfecti, sicut & pater vester perfectus est. Ergo possunt renati in hoc seculo esse perfecti, ac proinde legi Dei satisfacere?

Vt hic operosè non dicatur, quomodo particula (sicut) non equalitatem significet, sed conformitatem, qualis inter imaginem & archetypum esse solet: Responderi ad argumentum ipsum initio potest; A præcepto ad posse non valere consequentiam. Deus enim etiam non renatis præcipit, ut perfecti sint perfecteq; legem suam impleant. Ergone etiam non renati sunt perfecti & possunt explere legem? Deinde perfectionis vox vigore contextus hoc vult, ut quemadmodum patris dilectio non est simulata, sed vera & solida: sic ipsorum

ram quoque dilectio comparata sit, ut sit nempe vera & non hypocritica. Adhuc antithesis, quæ Christus dilectionem Publicanorum solis benefactoribus præstitam, à dilectione filiorum Dei ad inimicos etiam se præferentem dispescit, non ambigè docet perfectionis vocabulum referri simul ad integritatem objecti, ut videlicet dilectio Christianorum habeat objecti loco non solos amicos & benefactores, (quæ valde manca & imperfecta esset dilectio) sed, ad similitudinem dilectionis Dei, etiam hostes, à quibus injurias & persecutiones patiuntur. Ita perfecta dicitur dilectio, quæ & amicos & inimicos complectitur: imperfecta, quæ solos amicos, non item inimicos. Quod autem vel hos vel illos eminentissimo illo consummata perfectionis gradu diligere valeamus, quo lex jubet diligere: Id Christus hoc loco non efflagitat, & est ac manet id nobis in presenti seculo prorsus ἀδύνατον.

Paulus renatis scribens ait, Rom. 13. Nemi-
ni quicquam debeatis, nisi hoc, ut vos in-
vicem diligatis. Nam qui diligit alterum,
legem explevit. Haud obscure innuens,
posse renatos explere legem dilectio-
nis erga proximum?

Repetenda huc est distinctio inter præceptum
dilectionis Vetus & Novum supra posita. Nam, si
Apostoli dictum exponatur secundum præceptum
vetus & rigorem Moysi de completa illa & absoluta
dile-

dilectione: tum sermo Pauli vim habet præcepti significantis, non quid vel actu fiat vel fieri etiam in hac vita possit, sed quid ex præscripto promulgatæ legis fieri conveniat. Sin ad præceptum novum referatur Apostolica sententia, & explicetur secundum ἐπιεικείων Euangelij, tum idem ejus est sensus, qui supra monstratus est in dicto Gal. 6. Alter alterius onera portate, & sic legem Christi implebitis. Atq; sic explendi verbum, non illam exactissimam perfectionem à Mose requisitam significat, sed charitatem describit veram illam quidem, inchoatam autem & laborantem etiamnum infirmitate carnis, quæ ipsa tamen adherens infirmitas tegitur, merito exuberantis satisfactionis Christi per fidem apprehenso. Quod enim bonum in lege præceptum perficere, id est, perfectè præstare ne renati quidem possint, suo exemplo Paulus hac ipsa Epistola cap. 7. testatus est:

Imò passim de sua & aliorum perfectione gloriatur Apostolus, velut 1. Cor. 2.

Sapientiam loquimur inter perfectos?

Juxta subjectam materiam verba Apostoli comparatè sumenda sunt. Etenim Christianos, quibus Euangelij doctrina patefacta est, perfectos nominat, facta collatione ad ceteros infideles populos, quibus hæc sapientia Dei non innotuit. Deinde inter ipsosmet Christianos perfecti dicuntur, qui in doctrina fidei confirmati & fundati

fundati sunt: Imperfecti è converso, qui circa hanc vel illam doctrinae partem etiamnum haerent dubij, quos Paulus sequente capite 3. rudes & infantes nominat, quibus ardua illa mysteria Christianae religionis non ea sublimi & accurata ratione proponuntur, qua ceteris in fide iam confirmatis: sed lactis potu illi tanquam infantes in Christo alendi sunt. Veram esse hanc explicationem textus ipse verborumq; scopus arguit. Et quam pulcherrimè congruit ea cum loco ad Heb. 5. Quisquis lactis est particeps, is rudis est sermonis justitiae: Infans enim est. Porro perfectorum est solidus cibus, nempe horum, qui propter assuetudinem sensus habent exercitatos ad discretionem boni patiter ac mali. Palàm igitur est hoc ad Corinthios loco Paulum de legis impletione nil quicquã differere, sed de cognitione sapientiae mysteriorum Dei, quae in alijs Christianis firmior & perfectior, in alijs verò infirmior & imperfectior, in neutris autem undiquaque perfecta & absoluta est. Ex parte enim cognoscimus & ex parte prophetaemus in hoc seculo. Ast ubi venerit quod perfectum est, tunc demum id, quod ex parte est, abolebitur, 1. Cor. 13.

Quid autem respondes Apostolo dicenti, Philipp. 3. Quotquot perfecti sumus, ita sentiamus?

Neg.

Neque hic omnimodam perfectionem vel sibi vel alijs, Paulus attribuit. Aliàs in uno eodemq; contextu sibi manifestè contradiceret, cum in immediatè precedentibus ita de se scribat: Non quòd apprehenderim aut jam perfectus sum, sed lector si etiam apprehendam. Iterum ergò perfectionis vocula collationè includit, & secundum materiam subjectam perfecti nominantur, qui in doctrina de libertate Evangelica sic instituti & fundati sunt, ut nec circumcisionem, nec alia Levitica, quæ sub necessitatis opinione Pseudoapostoli urgebant, existiment esse de substantia Christianismi vel salutis necessitate, utpote quæ norunt sub Evangelio esse abrogata. Quamobrem etiam, quod addit: Si quid aliud sentitis, hoc etiam Deus vobis revelabit: ad infirmorum descriptionem pertinet, qui de circumcisionis aliarumq; Leviticarum umbrarum abolitione suum adhuc assensum suspendebant, quibus temporis progressu Deus scrupulum hunc sit exempturus, eosq; verbo suo docturus, quòd sub regno Christi nec ad ritum circumcisionis, nec ad cæteras leges Leviticas observandas alligati sint.

Ephes. 5. dicitur Ecclesia sponsa Christi gloriosa, non habens rugam aut maculam, sed quæ sancta sit & irreprehensibilis. Stat igitur etiamnum dogma Pontificum de perfectione renatorum in observanda lege Dei?

predi-

Prædicat D. Paulus beneficium Christi in Ecclesiam collatum, non tantum, ut id inchoatur in hoc seculo, sed etiam ut consummabitur in futuro. Est igitur Ecclesia Christi gloriosa, sancta & inculpata. Primo, quia Christus lavit eam sanguine suo: quod textus Apostoli non obscure respicit, cum ait; Christus dilexit Ecclesiam, & semetipsum exposuit pro ea, ut illam sanctificaret, mundatam aque lavacro per verbum. Sic ergo Christus in baptismo mundavit Ecclesiam aspersione sui sanguinis, atque hinc habet Ecclesia etiam in hoc seculo, ut induta ornatu justitiæ, innocentia & obedientia sponsi sui, verè in conspectu Dei & Christi sancta sit, gloriosa sit, inculpata sit, carens ruga & macula, contectis videlicet ac remissis omnibus peccatis. Et quamquam in curriculo novæ obedientiæ ostendunt sese aliqua ruga infirmitatumq; macule: tamen inchoatæ obedientiæ navi teguntur imputatæ Christi obedientiæ pallio. Consummabitur autem hoc beneficium in vita altera, ubi re ipsa tolleretur peccatum, & in illo reductæ sempiternæ justitiæ habitu verè gloriosa erit electorum Ecclesia in conspectu Dei & sponsi sui Christi, non jam infirmitatibus amplius circumdata, sed undique perfecta & in omnem eternitatem sancta & beata.

Quæ

Quomodo verò sententiam tuam conciliabis cum dicto Johannis, qui scribens: Omnem qui natus est ex Deo, non peccare: imò ne quidem posse peccare, hoc ipso legis exactissimam implementationem renatis assignat,

1. Joh. 3. ?

Distinguendū hīc initio inter peccata infirmitatis, quibus etiam renatorū vita obnoxia est, & deinde inter peccata regnantia, quae opera carnis dicuntur, Rom. 8. & Gal. 5. & hominem gratis Dei, fide & salute excutiunt. Peccata prioris generis quod attinet, scribit idem hīc Evangelista: Si dixerimus, peccatum non habemus, nos ipsos fallimus, & veritas in nobis non est. Non itaq; de infirmitatibus hīscē Iohannes loquitur, quando renatos non peccare confirmat. Nam & justus in die cadit septies & resurgit: sed de peccatis regnantibus differit, quòd videlicet ex Deo nati talia peccata non committant. Nec tamen hoc indefinite pronunciat, quasi renati non possint ullā ratione hujuscemodi opera carnis patrare. Reclamant enim Davidis irrefragabile exemplum, quē licet ante renatus esset, in adulterium tamen & homicidium prolabi & potuit & re ipsa prolapsus est. Non igitur alia potest assignari sententia verborum Iohannis, quàm haec: quòd videlicet donum regenerationis & peccata mortalia seu opera illa carnis simul stare nequeant, quodq; renati non possint ea committere, ut interim maneat renati,

renati, sed si committant, tum illos & nomen & definitionem renatorum amittere, donec per subsequentem conversionem in eis renascentiæ beneficium instauretur.

Si non potest impleri lex, nonne frustrà nobis data est?

Non sequitur. Sunt enim & alij usus, finis & effectus legis, ob quos hominibus etiam post lapsum promulgata est, & doctrina ejus in Ecclesia revereri utiliter potest ac debet.

Quot ergo sunt ejus usus?

Vulgò numerantur tres. Ad hos fines pariter omnes revocari possunt, quorum causa lex humano generi post lapsum data & lata est.

Quis est primus usus legis?

Primus respicit homines non renatos, & tendit huc, ut lege ceu freno injecto coërceantur, ne in manifesta scelera prorumpendo societatem, honestatem & tranquillitatem humanæ vitæ turbent, sed in externo obsequio ad conservandam publicam pacem & disciplinam contineantur. Atque huc spectat munus Politici Magistratus, qui est utriusq; tabulæ legis custos à Deo positus, ut violatores externæ disciplinæ ad justas retrahat pœnas, & reliquos à consimilibus delictis perpetrandis deterreat. Hoc est quod Paulus 1. Tim. 1. scribit: Lex posita est injustis & inobsequemibus, impijs & peccatoribus, irreverentibus & profanis.

C

pari-

patricidis, matricidis, scortatoribus, masculorum
concupitoribus, plagiarijs, mendacibus, perjuri.

Quis est secundus usus legis?

Eum explicat Apostolus in Epistola ad Romanos, quod videlicet in hoc sit data lex, ut arguat peccata, & conscientias ad veram agnitionem peccatorum perducatur. Quemadmodum scriptum est Rom. 3. per legem est agnitio peccati; Et Rom. 4. Lex iram operatur. Rursum Rom. 7. Peccatum non cognovi nisi per legem, nam & concupiscentiam non novissem, nisi Lex dixisset: Non concupisces. Hinc Legem propter transgressiones latam, idem Apostolus Gal. 3. confirmat. Hoc modo facit hominem desperare de propria sanctitate, omnemque justitiam suam non in semetipso, sed in alio querere, nempe in Iesu Christo Domino nostro, qua de causa paedagogus ad Christum nominatur, Galat. 3.

Quis est usus legis divinae
tertius?

Quod praescribit renatis hominibus rationem & normam pie vivendi & exsolvendi Deo sua obsequia in statu novae obedientiae, ne vagi sibi met regulas instituenda vitae procedant, & Deo operibus non ab ipso praecipitis, sed humanitusexcogitatis & inventis servire praesumant. Huiusmodi enim electitius operibus frustra Deus colitur, Esa. 29. & Matth. 15.

An

An non est quartus usus legis, ut videlicet per legis obedientiam homo iustificetur coram Deo?

Hunc usum seu potius abusum affinxerunt legi hypocritæ, Pharisei olim & hodie Pontificij. Illi quidem omnem iustitiæ coram Deo valentis summam suis qualibuscunq; opellis & obsequijs legi perfunctoria ratione præstitis in solidum adscribebant: Hi verò suæ obedientiæ in causâ justificationis fidem adiungunt sanè, sed magis ut est quedam virtus & infusa qualitas, quàm ut fidei aspectu cordis intuetur & amplectitur mundi Servatorem Iesum: imò magis ut est nuda notitia, qualem & demones Iac. 2. habent, & contremiscunt, quàm ut fiduciâ promissæ propter Christum remissionis peccatorum describitur, atq; sic magis ut est opus lege præceptum, quàm ut ei in Euangelio Christus objecti & correlati loco proponitur.

De fidei justificatione suo dictum est loco: Nunc hoc velim expedias, cur legis obedientiam Articulo justificationis immiscendam non esse censeas?

Quia infirmatur per carnem, Rom. 8. Non solum in non renatis, sed ut fusissime demonstratum est, etiam in renatis hominibus. Hinc Paulus Gal. 3. scribit: Si data fuisset lex, quæ posset vivificare, verè ex lege esset iustitia; sed conclusit scriptura omnia sub peccatū, ut promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. Prætera testatur Apost. Rō. 5.

Sicut per unius inobedientiam iniusti facti sunt multi: sic per unius obedientiam justos constituit multos. At verò si sua quisq; obedientia nova justificaretur, non jam una unius Christi, ut Paulus vult, sed gemina justificaretur obedientia, Christi nempe perfectissima, cui, perinde ac si ad justificandum sola non sufficiat, ceu supplementi loco adjungeretur obedientia cujusq; nova manca, mutila, imperfecta, & si ad forum divini iudicii & justificationis comparetur, panno menstruatae similis, Esa. 64. Quia verò scriptura imperfectae obedientiae vim justificandi derogat, vicissim unius Christi absolutissimae obedientiae punctum omne salutis ac iustitiae hominum acceptum fert, merito reprobamus hypocriticum errorum iusticiariorum pariter omnium, qui in obsequijs suis utcumq; legi praestitis iustitiam coram Deo valentem aeternaeq; vitae spem locandam esse somniant. Quantum enim tribuunt obedientiae renatorum, in qua tanquam renati & *σώσωσιν* gratia Dei Spiritui sancto cooperantur: tantum vicissim derogatur obedientiae Salvatoris extra nos aeterno Patri secundum legem exsoluta.

Certè Christus legis peritum quærentem de ratione consequendae salutis ad legem remittit, Luc. 10. Incongrua autem fuisset responsio, si legis peritum, id de quo quæstio erat, ex obedientia legis assequi non posse iudicasset?

Respon-

Respondet ei Christus in eo, ut dicitur, casu, quo quaesitus erat. Non enim interrogat legisperitus, quid credendo possessurus sit vitam aeternam, sed quid faciendo. Cum ergo non fide sed factis justificari & salvari velit, quidni Christus hypocritam rectè ac congruè ad legem remittit, praesertim cum haec sit genuina methodus, homines propriae sanctitatis opinione turgidos ad veras salutis rationes perducendi, ut primò concione legis, ostensa ejus absolutissima perfectione, de propria justitia desperare incipiant, quibus ita sensu peccatorum & metu irae Dei percussis, Lex pedagogus quidam est ad Christum in Evangelio commonstratum, qui finis est legis ad justificationem omni credenti, Gal. 3. Rom. 10.

Fuerunt qui dicerent, Legem planè non esse docendam in Ecclesia, sed in curiam ex templo relegandam: Ideò dicti Antinomi: quid de illorum opinione censendum statuis?

Horum impium dogma jamjam confossum est monstratis finibus seu usibus promulgatae legis supra memoratis; quorum primus tantum ad politicum forum pertinet; Duo posteriores ad forum conscientiae Ecclesiasticum, atque sic ad officium ministrorum Ecclesiae, quos D. Paulus vult idoneos esse ad rectè secandum sermonem veritatis, hoc est, ad Legem & Euangeliū debito suo discrimine praedicandum, ita ut voce legis terreant

impios, ijsq; sic territis & ad agnitionem peccatorum perductis, in Euangelio deinde proponant Christum vera fide apprehendendū, cuius gratia cum jam justificati sunt, iterum legem eis proponant, ut normā, ad quā sua opera exigant, Deoq; sua probent obsequia, ne, ut supra dictum est, electitjs cultibus Deo servire frustra laborent. Objiciunt Antinomi: justis legem non esse positam, I. Tim. I. Christianos autem esse justos. Ergo legem eis positā non esse, & proinde legem illis non esse prædicandam.?

Respondetur ad utramq; præmissam. Et primò propositionem majorem quod attinet, repetenda huc est explicatio dicti Paulini supra tradita, quod justus non simpliciter, sed secundum quid lex non sit posita, nimirum ratione primi usus legi, qui est, ut lege tanquā freno & carcere coërcantur flagitiosi. Aliās ut normam habeant p̄ secundum quam Deum colant & proximo serviant, & vitam suam instituant, certum est, ipsis quoq; legem esse positam, adeo ut ne quidem justus Adamus in Paradiso fuerit absq; lege, siquidem non tantū universa lex menti ejus insculpta erat, sed insuper particularis & peculiaris posita juxta quam Deo sua obsequia testata redderet, mandatum videlicet de non edendo fructu arboris scientia boni & mali. Hac ergo sententia Pauli sic explicata, ruit argumentū ab Antinomis hinc extractum, & ostenditur committi fallaciam à dicto

dicto secundū quid ad dictum simpliciter. Deinde minor propositio explanatione indiget, cum subsument Antinomi, Christianos esse justos, quod itidem non simpliciter, sed certa quadā determinatione verum est. Nam sunt in cœtu Christianorū p̄j & impj. Pj quidē justī sunt, sed justitiā imputatā Christi. Iustitiā verò, novæ illorū obedientiæ inchoata tantū & imperfecta est, ideoq; præter rationē jam assignatā, hac insuper de causa prædicatione legi illis opus est, ut ex ea residuas infirmitates suas indies agnoscant, & illarum Remissionem à Deo petant. Impj verò justī nequaquam sunt, idcirco & his prædicanda lex est, quæ eū fulmine terreantur, ut agnitis peccatis ad Christum mediatorē confugiant, & delictorum suorum veniam consequantur.

Paulus 2. Cor. 3. distinguit ministeriū Spiritus & Literæ, per ministerium Spiritus Evangelium, per literā autem legem intelligens: jam cum Christus Joh. 16. confirmet Spiritum S. arguere mundū de peccato, sequitur Spiritū S. id exequi non per legem, (hæc enim non est ministeriū Spiritus)

sed per doctrinā Evangelij?

Quando Paulus nominat ministeriū Spiritus, non est ei animus docere, quod Spiritui sancto nihil sit cum lege commercij, aut quod per eam nihil prorsus sit efficax. Tam enim per legem operatur contritionem seu peccatorū agnitionem, quam per Evangelium operatur fidem. Et manet fixum hæc.

Apostolicum axioma: Peccatum non cognovi, nisi per legem, Rom. 7. Ex quo Lutherus in certamine contra Antinomios hanc regulam extruxit: Quodcumq; Deus (atq; sic Spiritus sanctus) in verbo peccata hominum arguit, ex lege id fieri, & concionem omnem, quæ peccata manifestat, iram Dei & mortem annunciat, non esse Euangelij vocem, sed legis, quam ipse Dei Spiritus in ministerio verbi prædicari facit, & per illam corda hominum ad peccatorum agnitionem flectit, aut si se flecti non sinant, sed pertinaciter ipsius operationi resistant, nihilominus hac concione legis inexcusabiles eos reddit. Sic Patriarcham Noah prædicantem originali mundo pœnitentiam & arguentem promiscuas libidines aliq; illius scelera, mundus incredulus iurgijs excipiens adversus Spiritum Dei altercatus scribitur Gen. 6. quod constare minime posset, si Spiritui sancto cum concione legis nihil esset commune.

Quid ergo ad Apostoli dictum respondes, quo ministerium Spiritus à Lege separatur per apertam & claram antithesin?

Id quo respectu faciat Paulus, ipsemet alibi luculenter explanat. Nam Gal. 3. disputans de justificatione, & hanc operibus quidem legis derogans, fidei autem adscribens, affirmat Spiritum sanctum.

sanctum non accipi ex operibus legis, sed ex prædicatione fidei, atq; sic explicat, quo sensu non lex, sed Euangelium dicatur ministerium Spiritus, nempe quia non Lex, sed Euangelium organum est, per quod Spiritus sanctus ad vivificationem & gratiosam inhabitationem datur credentibus. Alia autem quaestio est, an Spiritus sanctus peccata arguat per Legem vel per Euangelium. Hic enim disertè respondemus per legem id fieri, quod & testimonio Paulino Rom. 7. & exemplo originalis mundi Gen. 6. paulò ante comprobatum est.

At Paulus de se & Apostolis clarè pronunciat, quòd sint Ministri Novi Testamenti, non literæ, sed Spiritus, hoc est, non legis, sed Euangelij?

Antithesin Paulus instituit inter Mosè ut Doctorem Legis sub Veteri Testamento, & inter Apostolos ut Doctores Euangelij in Novo Testamento. Mosès erat Doctòr & Minister Legis, quippe cuius ministerio Lex est lata. Quamvis enim Evangelicas etiam promissiones populo suo proposuit: tamen proprium ejus munus erat esse Mediatorem Veteris Testamenti, ratione promulgatæ per ipsum legis, Gal. 3. Sicut autem Lex in V. Testamento per Mosè data est: ita in Novo gratia & veritas per Iesum Christum exorta est, Ioh. 1. Proinde licet Christus etiam prædicarit legem: tamen hoc fuit principale ejus munus, ut Euangelium annuntiaret, Esa. 61. Matth. 11. Sic quoq; mini-

stri sub regno eius sunt ministri non litera sed Spiritus, non quod concionem litera sive legis prorsus intermittere debeant, sed quia principaliter Euangelij concio illis commissa est, Lex autem minus principaliter, & hoc sine, ut concione legis, cui manu ductione quadam paedagogica, homines ad Euangelium & in eo propositum mediatorem N. Testamenti Christum Iesum deducantur. Comparate igitur haec Paulus intelligit, serè ut 1. Cor. 1. scribit: se non missum ad baptizandum, sed ad Euangelizandum. Non quod planè non sit ad baptizandū missus (ita enim baptizasset Crispum & Caium & Stephana familiā sine praesente missione seu legitima vocatione, quod absurdum est) sed quod primario Euangelij in orbem spargendi causa missus sit, min⁹ principaliter ut baptizaret.

Demonstra verò perspicuis exemplis & testimonijs, in novo quoq; Testamento esse praedicatam legem?

Christus ipse proluxa concione legem exposuit & à Scribarum Pharisaeis corruptelis repurgavit, Matth. 5. 6. 7. Cū ergo Christus sit Novi Testamenti mediator & doctor summus, atq; nihilominus praeter Euangelij doctrinam, quam imprimis tractabat, docuerit etiam legem: certè hoc exemplo suo funditus evertit Antinomorū dogma, qui legem in Ecclesia docendā non esse clamitant. Ex doctrina legis convincit Paulus Iudaeos pariter & gentiles, Rom. 1. 2. 9. quod sint peccatores, atq; idcirco

Idcirco ex legis operibus minimè justificentur. Nam
& longum proponit catalogū flagitiorum, atque
scelerum, quibus legem cordibus suis inscriptam
violarent gentes, cap. 1. & Iudæos similiter ex
Decalogo redarguit, ut divinæ legis transgres-
sores, inquiens. Qui prædicas non surandum, fu-
raris, qui dicis, non adulterandum, adulteriū com-
mittis, qui execraris simulacra, sacrilegium ad-
mittis, qui de lege gloriaris, per legis transgres-
sionem Deum dehonestas, cap. 2. Et omnino, cum
per legem scribit esse agnitionem peccati, Rom. 3.
Et quidem ita, ut testetur, peccatum non cogno-
sci nisi per legem, Rom. 7. Agnitio autem peccato-
rum Christianis omnibus extremè necessaria sit,
quidni prædicatio quoque legis in Ecclesia necessariè
urgenda est? Quid quod idem Paulus affirmat, se-
mente servire legi Dei, Rom. 7. Nonne palam indi-
cat, se novam obedientiā suam ad præscriptū legis
componere. Idcirco Romanos ad dilectionē proxi-
mi sectandā exhortaturus ex Decalogo illis reci-
tat mandata secundæ tabulæ, cum ait Rom. 13.
Nemini quicquā debeatis, nisi hoc, ut vos invicem
diligatis. Nam qui diligit alterū, legem explevit,
siquidē illa; Non moechaberis, Non occides, Non
furaberis, Non falsum testimonium dices, Non
concupisces, & si quod est aliud præceptum, in hoc
sermone summariè comprehenditur: Diliges pro-
ximū tuum sicut teipsum. Et Eph. 6. Ad obsequia
parentibus præstanda ex quarto Decalogi præce-
pto, ei que annexa promissione liberos extimulat.

Redeo

Redeo ad dictum Joh. 16. Salvator ibi asserens, Spiritum sanctum arguere mundum de peccato, non agit de peccatis contra legem, sed de peccato incredulitatis, quod in Euangelium committitur: Addit enim, quia non credunt in me. Ex Euangelio igitur & non ex lege peccatum incredulitatis arguitur?

Committitur in hoc argumento confusio disparatarum questionum. Aliud enim est agere de objecto incredulitatis, aliud autem querere ex qua parte doctrinae caelestis accusetur & damnetur incredulitas. Etenim incredulitas Christum reijciens fertur in objectum Euangelicum; impingit enim in promissionem de Christo, quam reijcit & averfatur. Haec ipsa vero incredulitas tendens contra promissionem Euangelij, damnatur voce legis tanquam peccatum contra primum primae tabulae praecipitum. Nam Deus praecipit Deum, non vult cuidam duntaxat verbo suo fidele praebere assensum, sed toti verbo Dei adeoque omnibus & singulis ejus partibus. Cum ergo homo non credit Euangelio, damnatur haec illius infidelitas, in praecipito primo tanquam requisita fidei oppositum peccatum sive vitium: Atque sic, qui Christum aspernatur, is a Mose accusatur & damnatur. Euangelij enim officium proprium est, non damnare peccatum, sed peccatorum, qui per legem

legem ostensa & agnita sunt, gratuitam annuntiare Remissionē per & propter Christum. Agnitio autem peccatorum & inter hæc incredulitatis quoque non nisi per legem est, Apostolo teste, Rom. 6.

Nullum est tam lucidum speculum, cujus beneficio in magnitudinem & atrocitatem peccati tam exactè introspicere liceat, atque est Christi Servatoris passio. Hæc autem ad Euangelium pertinet, & non ad Legem. Adhuc ergo constat, etiam ex

Euangelio peccatorum agnitionem
efflorescere citra concio-
nem Legis?

Passio Christi geminā habet considerationem, legalem unam, alteram Evangelicam. Passio ipsa per se, quatenus constat sensu doloris, tentationum & cruciatuum, imò infinite iræ Dei sensu: non pertinet ad doctrinam Euangelij, sed legis, tanquam peccatorum generis humani pœna in lege denunciata, quam scriptura maledictum legis nominat, Gal. 3. Et hæc ipsa appellatione ad legem pertinere docet. Quatenus autem passio Christi consideratur relatione ad nos, & pensatur ex intentione Dei, & aestimatur ex fine, quem Deus in passione filij sibi habet propositum, nempe reparationem & salutem humani generis, & quatenus hinc effulget immensa Dei *Ἐλεωθεῖα*, dilectio & misericordia, quod proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus illum

tra-

tradidit, Rom. 8. Hoc demum respectu ad doctrinam Evangelij referenda est. Proinde argumentum Antinomorum negligens hanc distinctam considerationem nihil rectè concludit.

Pergunt illi sic argumentari: Qui non sunt sub lege, sed sub gratia, hi conditione legis nihil indigent. Renati non sunt sub lege, sed sub gratia, Rom. 6. Ergo concione legis nihil opus habent?

Est fallacia *ὑπερβολῆς*, & simul à dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Cum enim ait Paulus, nos non esse sub lege, determinatè id accipiat respectu maledictionis, quod arguit in antithesi vocabulū gratia, quod legi respectu iræ & maledictionis opponitur. Interim manent renati sub lege ratione obedientia, ad quam Deo exsolvendā admonendi sunt ex doctrina legis, quod Christum Matth. 5. & Paulum identidem in suis epistolis factitasse suprā demonstravimus.

Quia verò obedientia renatorum spontanea est, (aguntur enim Spiritu Dei, ad Roman. 8. & serviunt non juxta vetustatem literæ, sed secundum novitatem Spiritus, Rom. 7.) quid opus est illis exactore illo, nempe lege?

EST

Est sanè spontanea illorum obedientia, sed secundum internum hominem, Rom. 7. id est, in quantum renati sunt. Quoniam autem illorum regeneratio perfecta non est, nec caro mutatur in spiritum, & manet lucta inter spiritum & inter carnem, Gal. 5. Hoc respectu indigent certè non tantum stimulis legis, sed etiam plagis, hoc est, cruce & calamitatibus. Et agit sanè illos Spiritus sanctus non verò immediate, sed mediate, propinquans eis normam & formam legis, ut viam mandatorum Dei currant, quod de se renatus David profitetur Psal. 119. Quin ipsum $\epsilon\kappa\delta\sigma\tau\omicron\nu$ seu spontaneum Paulus ad obedientiam secundum legem præstitam determinat, cum scribit: Delector lege Dei secundum internum hominem, mente servio legi Dei, Rom. 7.

Concideret hac ratione discrimen inter opera legis & opera Spiritus, si renatorum etiam opera legis operibus accenseantur?

Renatorum opera sunt omninò in lege præcepta & ad amicum legum exigenda & componenda, quod David Psal. 119. fusissimè testatur. Quoniam autem renati obedientiam illam non præstant, vel spe consequendi hinc vitam æternam, ut iustitiarum, vel pœnæ solum formidine, ut homines non renati, à quibus extorquet lex servile obsequium: sed quoniam illi, ut D. Apostoli verbis utar, serviunt Deo acti à Spiritu S. atq; sic non juxta veritatem literæ, sed secundum novitatem Spiritus, Rō. 7.

hinc

hinc a deo sortiuntur opera illorum hoc amabile
nomen, ut proprie non Legis, sed Spiritus opera
& fructus appellentur, Rom. 6. Gal. 5. Sic manet
nihilominus inconvulsam discrimen operum legis
& Spiritus, observato nimiram discrimine per-
sonarum, à quibus illa eduntur, quatenus istæ
vel sunt sub gratia, ut renati, vel adhuc sub ser-
vitate legis, ut non renati.

Estne his operibus renatorum nihil prof-
sus commercij cum doctrina
Euangelij?

Operæ pretium est scire, quid circa doctrinam
operum, quæ fiunt à renatis, Lex doceat, quid vi-
cissim Euangelium præstet. Lex normam præscri-
bit & docet, quibus operibus Deo & proximo ser-
viendum sit. Euangelium autem subministrat
Spiritus sanctum, qui renatos ducat in semita
mandatorum Dei, & simul ostendit opera illorum
esse grata Deo per fidem in Christum, Heb. ii. in
quantum hi, qui faciunt illa opera, sunt Deo per
Christum reconciliati. Vnde opera eorum non jam
servorum obsequia sunt, sed filiorum, & spiritua-
les & acceptæ Deo hostiæ passim nominantur,
præcipue Rom. 12. & Heb. 13.

Cum Lex Moralis comprehensa sit in De-
calogo, quomodo distribuendum illum
centes. Sunt enim qui distributionem
in nostris usitatam Ecclesiis
planè reprobant?

Calvi-

Calviniani primum præceptum Decalogi in duo distrahunt, atque sic priori tabulæ quatuor accensent præcepta, posteriori sex: Duo enim ultima ipsi in unum redigunt. Nos vicissim verba de sculptilibus & imaginibus ad primum referimus præceptum, quo Idololatria prohibetur & damnatur, atque sic primæ tabulæ attribuimus præcepta tria, secundæ tabulæ septem: nimirum juxta diversitatē objectorum distribuendo ea, quæ de concupiscentia sonant in præcepta duo.

Ut hæc quoq; materia utiliter explicetur: dic age quid in controversia sit, quid verò non?

Extra controversiam sunt hæc. Primò, Decem esse præcepta Decalogi, unde & nomē habet, quod Decalogus appellatur: & Deus ipse Exodi 34. Deut. 4. & 10. decem verba nominat & numerat. Est deinde hoc etiam in confesso, Decalogum in duas tabulas esse distributum. Id enim liquido prohibet Moses, Exodi 31. 32. & 34. Similiter Deut. 4. 5. 9. & 10. Tertio neque hoc in controversiam venit, quæ præcepta ad quam tabulam referenda sint. Constat enim ea quæ dilectionem & cultum Dei sanciunt, referri ad tabulam priorem, cætera, quæ proximum, ad secundam. Neq; hoc in lite positum est, an verba hæc; non facies tibi sculptile &c; sint ex Decalogo exturbanda. Quod Lutherum fecisse Anhaltini nequiter & sceleratè mentiuntur. Cùm quidem Lutherò in mentem id

D non

non venerit, neq; hoc consilio in Catechesi sua per-
 ricopen illam de imaginibus præterierit: sed quia
 ad captum rudiorum se accommodans & imbe-
 cillitati memoriæ illorum consulens in compendi-
 um redegit, quæ fusiùs in præcepto primo propo-
 nuntur, ut eo faciliore labore pueri simul & se-
 nes Decalogum memoria complecti possent: Inte-
 rim quæ de sculptilibus habet Moses, non annihili-
 lans aut exturbans, sed hoc, quo dictum est, sine
 consilioq; bono verba primi præcepti compendiosè
 contrahens, & idololatricas imagines sculptiliaq;
 ad cultum proposita sub Dijs alienis tanquam spe-
 ciem sub genere comprehendens. Deniq; nec hoc à
 nobis contenditur, annè altera distributio, quam
 hodie Calviniani sequuntur, sit per se impia. Cùm
 enim Spiritus sanctus numeros non adjecerit, nos
 inter adiaphora reponimus, sive hoc sive altero
 modo distribuatur Decalogi præcepta, dummodò
 distributioni non assuatur necessitatis opinio, &
 secus distribuentes non damnentur. Quemadmo-
 dum Calviniani Decalogum necessariò eum in
 modum, quo ipsi factitant, & non aliter distri-
 buendum esse clamitant, & qui secus faciunt, sa-
 crilegij & impietatis petulanter condemnant.

Quid ergo est, in quo controversiæ
 cardo volvitur?

Nimirum hoc quod modò paucis attigi, annè
 ob distributionis Decalogi diversitatem Ecclesiæ
 una justè condemnare possit alteram. Deinde
 quod

quod ipsum caput rei concernit, in lite est, sint ne
 verba de imaginibus non faciendis & adorandis
 peculiare præceptum ab eo, quod de Dijs alienis
 sonat distinctum, atque sic in ordine secundum,
 ut in tabula prima quatuor numerentur præce-
 pta, in secunda verò tabula per contractionem
 eorum, quæ de concupiscentia sonant, sex tan-
 tum: vel num è converso priori tabula tria ac-
 censenda sint præcepta, posteriori verò septem:
 & num hac distributione hæcenus frequentata,
 porro etiam sine conscientie læsione uti valeamus?

Quibus argumentis confirmas, manda-
 tum de sculptilibus non esse peculiare
 aut à primo separatum
 præceptum?

Id initio hinc liquet, quod certum est, eas dun-
 taxat imagines prohiberi, quæ fabrefiunt & pro-
 stant ad cultum venerationis sive adorationis, hoc
 est, imagines idololatricas. Has autem scriptura
 Deos alienos nominat; Ergo etiam sub præcepto
 (non habebis Deos alienos coram me) illas com-
 prehendit.

Proba, quòd imagines ad cultum factæ,
 dicantur dij alieni in sa-
 cris literis?

Genes. 35. dicit Patriarcha Iacob domesticis su-
 is, auferte Deos alienos, qui sunt in medio vestrũ.

Et post pauca subjungitur: Et dederunt ei omnes Deos alienos, qui erant in manu illorum, & abscondit eos subter quercum, quæ erat propè Sichem. Eadem appellatione Propheta Samuel notat idololatricas sculpturas & imagines, cum ait ad populum Israël, 1. Sam. 7. Si toto corde revertimini ad Dominum, auferte Deos alienos de medio vestri, Baalim & Astaroth, & subjungitur, quod confestim abstulerint aut removerint Deos illos alienos. Ex quibus testimonijs clarum est, imagines sive sculpturas idololatricas primo præcepto condemnari, ipsaq; deorum alienorum appellatione manifestissime perstringi, adeoq; tanquam speciem sub suo genere comprehendendi. Regula autem est: Quodcunque præceptum includit universum genus, id ejus quoque species omnes atq; singulas includat necesse est. Primum præceptum includit universum genus. Absurdum enim est affirmare, Deum prohibendo illic Deos alienos, tantum quosdam deos alienos & non universos prohibere voluisse. Ergo omnes ejus species præceptum primum includit, & proinde cultum quoq; sculptilium & imaginum damnat.

Estné argumentum aliud, quo demonstreris, pericopen illam de factura & cultu imaginum peculiare præceptum non constituere?

Id ex sequente etiam liquet ratione. Si prohibitio de non habendis dijs alienis, & prohibitio de
non

non faciendis & adorandis imaginibus constitue-
rent distincta duo præcepta negativa: tum habe-
rent etiam opposita distincta duo affirmativa.
Posterius hoc falsum est. Falsum ergo & prius.
Minor liquet hinc, quia affirmativa ejus quòd di-
citur (non habebis deos alienos coram me) est hæc:
Dominum Deum tuum solum coles. Affirmativa
ejus, quod dicitur: (Non facies tibi sculptile &c.)
est itidem hæc, Dominum Deum tuum solum co-
les, solum adorabis. Absurdum igitur est, in Ne-
gativa, quæ prohibitionem continet, distrahere
velle ea, quæ in affirmativa continente præcepti-
onem distrahi sese nullo modo patiuntur.

Sed objiciunt illi, in præcepto de imagi-
nibus non tantum adorationem seu cul-
tum imaginum prohiberi, sed ipsam fa-
cturam: Dicitur enim: Non facies
tibi sculptile?

Quando Dominus ait: Non facies tibi sculpti-
le aut ullam imaginem &c: aut absolute prohi-
bet sculptilium & imaginum facturam, aut se-
cundum quid, id est, ratione cultus. Si absolute
aut simpliciter: tum quia prohibitio hæc Deut. 5.
repetita, omnem imaginem complectitur omni-
um eorum, quæ in cælo sunt sursum, aut quæ in
terra deorsum, aut quæ in aquis sub terra sunt,
sequetur irrefragabiliter, quòd simpliciter & ab-
solute vetitum sit, vel avem aliquam vel piscem,
vel quodcumq; animal vel pingere vel imaginem

ejus in ulla materia exprimere. Sic uno ictu de-
jecta concident artificia pictorum, sculptorum &
aliorum, qui quoquo modo circa rerum imagi-
nes versantur. Negari non potest, per immotam
consequentiam hoc inferri, si facere imagines sim-
pliciter & absque determinatione prohibitum est.
Hanc autem non esse mentem Domini, testantur
imagines Angelicae in velis & parietibus taber-
naculi Mosaici, & post templi Solomonis: testan-
tur duo Cherubim super arcam propitiatorij:
duodecim boves fusiles sustinentes mare aureum:
testantur idem imagines leonum in throno regio
Solomonis: testantur imagines anorum & mu-
rium, quas ad arcam propitiatorij Dominus re-
poni passus est, in signum & memoriale plagae
Philistaeis inflictæ, cum quidem aliàs idololatrica
statua Dagonis juxta arcam stare minimè posset,
sed eversa collaberetur.

Quomodo ergo censes verbum illud
(FACERE) intelligen-
dum esse?

Quia urgentibus sacrae scripturae manifestis-
simis exemplis concedendum est, absolute & sim-
pliciter interdictum non esse facere imagines:
relinquitur illarum picturam, sculpturam aut
quamlibet facturam in Decalogo prohiberi de-
terminatè & secundum quid, nempe ratione cul-
tus; hoc sensu, quod non liceat facere sculptilia
& imagines, ut colantur. Atq; hanc esse mentem
prae-

præcepti hujus, ostendit ipse contextus sic habens :
 Non facies tibi sculptile, nec ullam imaginem eorum, quæ sunt in cælo sursum, neque eorum, quæ sunt in terra deorsum, neque eorum, quæ in aquis sunt subter terram : Non adorabis neq; coles ea, Exodi 20. Deut. 5. Idem arguit explicatio eodem capite 20. Exodi subjuncta. Etenim sicut in primo præcepto cum dicitur : Non habebis Deos alienos juxta me, Dominus hac clausula (juxta me) ad cultum respicit, ne videlicet præter ipsam unum & solum verum Deum colantur alij : sic de imaginibus vers. 22. & 23. subjiciens, illud facere consimili clausula cultum subindicante palam determinat, inquit : Vos vidistis quod è cælo locutus sum vobiscum, ne ergo faciatis aliquid mecum, Deos argenteos & aureos non facietis vobis. Vbi duo occurrunt, quæ illud facere, de quo loquitur imaginum prohibitio, ad cultum idololatricum manifestissime restringunt. Nam quod in præcepto primo nominaverat sculptile, nominaverat similitudinem seu imaginem : id jam in explicatione nominat Deos argenteos, Deos aureos, ceu digito notans, quid sculptilium appellatione prius interdictum voluerit, videlicet statuas & imagines, quibus Dei cultus impiè transcribitur. Alterum est, quod adijcitur particula MECUM, quæ sonat juxta me, Lutherus rectè vertit, *Ueber mir* : quam esse cultus idololatrici periphrasin,

ne ipsi quidem adversarij inficias ire vel possunt
vel audent. Ex allatis ergo firmis & perspicuis
rationibus, luculenter perspicitur, imagines in
Decalogo non simpliciter, sed cultus ratione da-
mnari, atque sic notari eas, quæ secundum scri-
pturæ definitionem sunt & dicuntur dij alieni.
Quare ad primum quoque præceptum de non ha-
bendis dijs alienis referenda, & tanquam species
sub complexum sui generis redigenda sunt.

An non autem sacrilegium admisit Luthe-
rus, ea, quæ de imaginibus habentur, ex
Decalogo in sua Catechesi dispen-
gens & exturbans?

Quoniam adductæ modo rationes evincunt
potentissimè, imagines, quæ voce legis prohiben-
tur, esse deos alienos, & damnari sub hoc nomine
deorum alienorum verbis hisce: Non habebis deos
alienos coram me: Non obtinebunt adversarij
præceptum de imaginibus vetitis dispunctum aut
exterminatum esse à Luthero, nisi prius demon-
straverint, Deum verbis his (Non habebis Deos
alienos coram me) deos argenteos & aureos, id
est, imagines ad cultum prostitutas complexum
non esse; atque sic eo præcepto quosdam duntaxat
prohibuisse Deos alienos, non prohibuisse omnes:
quod quàm sit cogitatu nedum dictu absonum,
qui vis non omnino stupidus intelligit. Quamdiu
verò certum est, Deum primi illius præcepti ver-
bis damnasse Deos alienos simul omnes atque singu-
los.

loc: tamdiu etiam certum est, certumq; manebis sub iisdem verbis idolatricas imagines (quæ & ipse dñi alieni sunt, & dñi argentei, dñi aurei &c: nominantur) esse damnatas, & proinde prohibitionem illarum ex Decalogo in nostro Catechismo dispunktam non esse. In enarratione autem Catechismi, quæ sit vel pro concione ad populum, vel etiam in scriptis publicis, disertè enumerantur idololatriæ species, & inter has explicitè quoq; recensetur & damnatur supersticiosus imaginum. & sculptilium cultus, idq; sit in nostris Ecclesiis contra omnem idololatriam Ethnicam pariter & Papisticam tam luculenter & nervosè, quàm à Calvinianis in æternum præstari queat. Proinde solennis illa præcepti huius primi explicatio, quæ in Ecclesiis nostris sonat publicè, novatores illos turpissimi mendacij redarguit, quo præceptum de sculptilibus & imaginibus lege Dei vetitis, in nostra Catechesi in fraudem veritatis & in emolumentum Pontificiæ idolomania dispunktum & exturbatum esse splendide mentiuntur.

An non autem Ecclesia alligata est ad eam recitationem Decalogi, quam Moses in describenda historia promulgatæ legis præscripsit, Exod. 20. ita ut ne quidem ad consulendum infirmitati rudiorum, verba Decalogi compendiosius liceat contrahere?

D S

Ita

Ita quidem novatores per Tyrannidem adiungunt suos homines, ut memoria mandent, & precise commemorent Decalogum totidem verbis, syllabis ac literis, ut Exod. 20. descriptus est. Talem autem necessitatem Ecclesis à Spiritu S. non imponi sequentia exempla meridiana luce clarius ostendunt. Primò convincuntur Adversarij ipsius Moysis irrefragabili exemplo. Hic Deut. 5. historicè repetens, quibus verbis Dominus in promulgatione Decalogi sit usus: non tamen ad ipsas literas & syllabas se astringit, neq; Decalogum de verbo ad verbum ita recitat, ut eum in Exodo recenset, sed quaedam omittit, quæ in Exodo habentur, quaedam inserit, quæ in Exodo non leguntur, quaedam etiam transponit. In tertio præcepto de sanctificatione Sabbathi causa redditur apprimè evidens, cur Sabbatum sit sanctificandum, quia videlicet Dominus sex diebus fecerit cælum & terram, & mare, & omnia, quæ in eis sunt, & requieverit die septimo, ideoq; benedixerit diei Sabbathi, eumq; sanctificavit. Hæc ratio quantumvis luculenta & commemorabilis, omittitur in repetitione Decalogi Deut. 5. Econtra Deut. 5. ratio quaedam assignatur, cur non sit neganda servis & ancillis sua requies, quia videlicet ipsi quoq; servi fuerint in Ægypto, indeq; educti sint brachio excelso. Hæc in Exodo planè est omissa. Sic præcepto quarto, ut id in Deuteronomio recensetur, promissio annectitur, quæ liberis obedientibus duo distincta beneficia pollicetur, primò longævitate vite, deinde prospe-

prosperitatem rerum. In Exodo alterius duntaxat beneficij doctrine promissionis, nempe longaevitatis explicita sit mentio, prosperitatis mentio praetermittitur. Et Paulus Eph. 6. liberos ad obedientiam parentibus praestandam exsuscitat, & promissionem istam allegans, maluit eam bimembrem ex Deuteronomio, quam Exodo repetere, & ad institutum suum accommodare. Sic in Exodo promulgata praecipua ultima de non concupiscenda domo proximi, de non concupiscenda uxore proximi, sic in Deuteronomio repetuntur, ut eorum manifesta fiat transpositio, nimirum ut Spiritus S. palam ostendat, se ad recitationem Decalogi, ut is in Exodo commemoratur, nos ita praecise non astringere, quemadmodum Calvinianus spiritus in Ecclesiis, quibus dominatur, per tyrannidem dicitur & imperat.

Suntne plura, quibus ista tyrannis confutari, & vicissim ostendi queat, licere praecipua Decalogi in breviorum etiam summam contrahere?

Moses Deuteron. 6. & Levit. 19. Christus item Matth. 22. totum Decalogum compendiose & summam huius duobus capitibus complexus est: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, & in tota anima tua, & in tota mentetua, & diliges proximum tuum sicut teipsum. Imo, quae sit Dominus Iesus Matth. 19. de mandatis, in quorum impletione salus aeterna sita sit.

Deca-

Decalogi praecepta neq³ omnia neq³ eo ordine commemorat, quo aliàs sese consequuntur in Exodo & Deuteronomio. Sic autem habet recitatio à Christo usurpata: Non facies homicidium. Non committes adulterium. Non facies furtum. Non falsum dices testimonium. Honora patrem & matrem, & dilige proximum tuum ut teipsum. Observatu dignum est in quaestione de consequenda vita aeterna (quam certum est promitti non aliquorum duntaxat, sed omnium conjunctim praeceptorum impletioni perfectæ) Dominum in ea persuasionem minimè fuisse verbotenus recensendū esse Decalogum, ut Exodi 20. descriptus est, sed omisisse verba de imaginibus & simulacris, ob quorum omissionem aliàs Calviniani nos sacrilegij accusant, omisisse item cætera primæ tabulae praecepta, quin & duo ultima de non concupiscendo. In eorum autem, quæ exprimit, recitatione id, quod aliàs in secunda tabula primum est, ultimo posuisse, cujusmodi libertate etiam Paulum Rom. 10. usum legimus.

Obijcitur autem, quòd distributio nostris usitata Ecclesijs, sit planè Papistica, & sub Papatu nata?

Sanè quòd sub Papatu superioribus seculis distributio hæc in usu fuerit, negari minimè potest. Non autem quicquid sub Papatu receptū & frequentatum fuit, exterminandum propterea est, ut Papisticum. Sic enim ipsa quoq³ Symbola fidei nostræ,

nostræ, Apostolicum, Nicænum, Athanasianum, aliâq; multa cum ipsis Biblijs eliminanda forent. Præterea recepta quidem fuit hæc diæresis præceptorum Decalogi superioribus seculis in Papatu: interim si originem ejus spectes, ex monumentis antiquitatis evidens est, eam longè antè invalescentem Antichristi dominatum in usu fuisse. Et quanquam ea etiam distinctio, quam argent Calviniani à nonnullis Patribus usurpata fuit: non tamen ob hanc diversitatem lis mota aut controversia excitata legitur. Et par erat, ut recentes novatores Magistro suo Calvino hæc in parte obsecundarent, qui Institutionum libro 2. cap. 8. sect. 12. sic scribit: Nec in divisionem præceptorum cogoscendam malè studium impenditur: modo ejus generis rem esse meminervis, in qua liberum cuiq; judicium esse debeat, ob quam non sit contentiosè cum dissentiente pugnandum.

Probari velim fuisse nostram rationem
distribuendi præcepta in usu
antiquitatis?

D. Augustinus ea passim in suis scriptis utitur, præcipuè contra Faustum Manichæum, l. 15. c. 7. Item de decem thordis c. 5. & 6. Similiter quæst. 71. super Exodum: Insuper l. 3. Confess. c. 8. & deniq; serm. 95. de tempore. Verba ejus a libi citata nunc brevitatis causa prætermitto. Idem verò Augustinus diversas opiniones sive sententias quorundam enumerans, & sic aliorum, qui

qui aliter distribuunt, & in his suam quoque sententiam (quæ tota nostra est) ab alijs usurpata esse confirmans, nonne luculenter ostendit, se hanc distributionem amplecti, non veluti novam aut à se demum inventam, sed ut ab alijs acceptam & usurpata. Origine ergo sua prior est Augustino hæc ratio distribuendi Decalogum. Quin ex eo ipso Origenis antiquissimi scriptoris loco, quo Calvinus suæ distributioni fidem conciliare nititur, evidenter apparet, hanc quam nos tenemus Decalogi distinctionem, jam tum pervulgatam usitatamq; nonnullis fuisse. Dicit enim Origenes homilia 8. in Exodum: Hæc omnia (scilicet non erunt tibi dii alieni præter me, item, non facies tibi idolum aut ullam similitudinem) hæc omnia NONNULLI putant unum esse præceptum. Vnde claret, Origenis tempore fuisse, qui verba de dijs alienis, & deinde verba de simulacris & imaginibus non in duo præcepta distraxerint, sed pro uno mandato sive præcepto habuerint: & proinde manifesta injuria fit nostris Ecclesijs, quando fingitur, quod hæc ratio distinguendi præcepta è regno papistico manarit.

Quomo-

Quomodo verò duo postrema præcepta constare possunt, cum Paulus Roman. 7. contrahat ea in unum verbum; non concupisces: & Moses illorum translationem vel transpositionem facere videatur?

Quod prius membrum questionis attinet, nihil hinc pars adversa pro tenendo instituto suo valet elicere. Idem enim Paulus totam secundam tabulam in unum verbum dilectionis proximi contraxit, Roman. 13. Nec ideo negatur, si hujus dilectionis ratio explicetur, & in objecta sua se diffundat, ostendi posse plura præcepta, partim objectis, partim differentibus ejus dilectionis speciebus distincta: Sic quoque duo posteriora præcepta licet uno hoc verbo (non concupisces) summarim perstringantur Rom. 7. tamen si in sua evolvantur & explicentur objecta itidem manifesta sese distinctio offert, inter concupiscentiam domus & concupiscentiam uxoris aliarumque rerum, quæ sunt proximi. Denique quod si ita scrupulosè quis cupiat esse accuratus in distributione præceptorum Dei, nonne ad novem vel octo præcepta universa simul referri possent, cum negari nequeat, in sexto præcepto etiam concupiscentiam uxoris alienæ prohibitam esse, attestante Christo Matth. 5. & concupiscentiam domus aliarumque rerum, quæ

quæ proximi sunt, septimo etiã præcepto damnã-
 ri. Sed neque transpositio illa, quæ ex Deuterono-
 mio nobis obtenditur, firmum argumentum præ-
 bet adversarijs, siquidem Christus Matth. 19. &
 Paulus Roman. 13. præcepta Decalogi liberrimè
 transponunt. Quin hæc ipsa metathesis in Deute-
 ronomio facta, adversariorum potius superstitio-
 nem liberè redarguit, qua suos homines ita præ-
 cise ad recitationem Decalogi, ut in Exodo legi-
 tur, astringunt: cum ex præmemoratis constet,
 Moſen ipsum hanc rigidam & præcisam rationem
 eadem quasi verba numerandi in repetitione De-
 calogi minimè servasse, nec ut ita stricte servate-
 tur, populo suo præcepisse.

DE LEGE CEREMONIALI.

Quid est Lex Ceremonialis?

Est ordinatio Dei certis comprehensa ritibus,
 ad cultum Veteris Testamenti & Ecclesiasticum
 ordinem pertinentibus, cuiusmodi sunt, totus ille
 ornatus & apparatus Sacerdotij Levitici, sacrifi-
 cia, sacramenta, sabbatha, festa partim men-
 strua, partim anniversaria, ceremoniæq; aliæ, ad
 tabernaculum Domini vel etiam in privatis æ-
 dibus & habitaculis Israëlitarum olim observan-
 dæ: quæ quod essent umbra & figura Christi, sa-
 cerdotij & sacrificij eius, eorumq; omnium, quæ
 opere

Opere completurus nobisq; acquisiturus erat: idcirco tantisper, donec Christus veniret, durare, exhibito autem illo cessare debuerunt.

Vt de singulis agatur ordine, dic quaeso, quis sacerdotij sub lege Levitica fuerit apparatus?

Ad sacerdotium destinata erat tribus Levi, & in hac praecipue Aaronis posteris. Quasquam autem plures sacerdotio simul fungebantur: tamen unus quidam inter eos eminebat Sacerdos summus, cui soli patebat ingressus in sancta Sanctorum singulis annis semel duntaxat, non absq; sanguine: qui etiam sustinebat partem aliquam gubernationis in gente Israelitica. Porro licebat ei esse uxoratum, ita tamen, ut nec viduam duceret, nec ab alio repudiatam, nec stupratam, sed virginem duntaxat populi sui, Levit. 21. Habitus, quo utendum ei erat in functione sacerdotalis muneris, descriptus extat Exodi 28. Ritus inaugurationis ejus ut & reliquorum Sacerdotum inferiorum commemorantur, Exod. 29. Salarium ejus, Num. 18. De Sacrificijs in solo Tabernaculi loco super altare Domini ab illo offerendis fusissime traditur in Levitico per omnia fere capita.

Quoniam ritus hoscce legis Ceremonialis dixisti fuisse typos Christi, audire gestio, quibus in rebus & quomodo Veteris Testamenti Pontifex CHRISTVM N. Testamenti Sacerdotem adumbravit?

Id ex professo tradit Epistola ad Hebraeos 7. 8. 9. 10. capitibus, ubi & convenientiam seu analogiam typi & antitypi, ac simul differentiam Sacerdotij utriusq; luculentissime proponit & explicat. Differentiam quidem, quod Christus non ex tribu Levi secundum ordinationem Aaronis Pontifex est constitutus, sed ex tribu Iuda, de qua nullus aliàs altari astitit, & quidem secundum ordinem Melchisedech, ita, ut in hoc summo Pontificatu nec socium ferat, nec successorem habeat, quemadmodum aliàs Veteris Testamenti Pontifices, quos mors non sinebat vivere, Heb. 7. Hic autem sedet ad dextram Dei Pontifex in aeternum, juxta sermonem juramenti, Psal. 110. Omniplane socio, omni successore in hoc arduo munere carens. Illi tractabant victimas terrenas, quae accedentes perfectos efficere non valebant, id quod earum arguebat iteratio: Quin & ipsi sacerdotes, quia circumdati erant infirmitate peccati, necesse habebant, initio pro se, dehinc demum pro populo offerre. Christus autem Pontifex futurorum bonorum innocens est, impollutus est, & peccatoribus segregatus est, & sublimior caelis factus est, qui victimam non terrenam, sed filius Dei existens semetipsum in carne sua pro totius mundi peccatis obtulit, idq; sub consummationem seculorum semel, qua unica oblatione perfectos effecit in perpetuum eos, qui sanctificantur. Unde virtute hujus absolutissimæ victimæ salvos facere ad plenum potest, qui per ipsum ad eunt Deum,
semper

semper vivens, ad hoc, ut interpellet pro illis,
Heb. 7.

Hæc de differentijs: Nunc convenien-
tiam Typi explana?

Sacerdos summus veteris legis non uno modo
Figura erat Sacerdotis summi Novi Testamenti.
Nos præcipua summam perstringemus. Sicut e-
nim illius officium erat, orare pro populo, sacrifi-
cia offerre, & nomina filiorum Israël super Ephod
& in pectorali portare coram Domino: Sic &
Christus in diebus carnis suæ preces & suppli-
cationes clamore valido & lachrymis obtulit pro
nobis, & exauditus est, Heb. 5. atq; sic credentes
suos velut in pectore & corde suo gestat, æternoq;
patri nunquam non commendat. Sacrificia, quæ
tractabat Veteris Testamenti Sacerdos sive Ponti-
fex, præfigurabant exactè sacrificium unicum
Christi propitiatorium pro totius humani generis
peccatis offerendum, explicante typum hunc Spi-
ritu sancto Heb. 9. & 10. Neque enim ipsis per se
victimis illis Leviticis oblectabatur Deus, vel
etiam nidoribus earum placabatur: quod expressè
refellit Spiritus sanctus, Psal. 50. Sed hoc sine e-
rant præcepta, ut præfigurarent hostiam Novi
Testamenti Christum Dominum in ara crucis offe-
rendum, & ut animos Israëlitarum ad conside-
rationem illius futuri sacrificij propitiatorij eri-
gerent, atque hoc modo fidem in illis excitarent
& confirmarent.

Demonstra, cessare debuisse Leviticum
illud Sacerdotium cum Sacrifi-
ciis annexis?

Sacerdotium totum Leviticum aliquando fu-
isse abolendum, autor Epistolæ ad Hebræos cap. 7.
evincit ex translatione Sacerdotij de una tribu in
alteram: quia nimirum promiserit Deus sacer-
dotium aliud, cui præesset Christus, non ex tribu
Levi, sed Iuda oriundus. Vnde concludit, hoc sa-
cerdotio Christi in tribu Iuda secundum ordinem
Melchisedec introducto prius illud Aaronicum
antiquandum fuisse. Iam de Sacrificiorum aboli-
tione perspicue vaticinatus est Propheta Daniel,
cap. 9. ubi palam edisserit, futurum, ut quando
Christus in ultima septimana pactum suum con-
firmer, multis deficiat hostia & sacrificium. Id-
circo quamprimùm Christus semetipsum in ara
crucis obtulit, & proprio suo sanguine in sancta
sanctorum ingressus est, æterna redemptione re-
perta: protinus velum templi scissum memora-
tur, quo veteris Sacerdotij & sacrificiorum ab-
rogatio non obscure significata fuit, idq; etiã vox
Salvatoris in cruce declarabat: Consummatũ
est. Cumq; obstinata gens Iudæorũ id non agno-
sceret, sed spreto sacrificio Christi, veterem illam
sacrificandi rationẽ Leviticam non sine operis o-
perati hypocritica opinione urgeret: Deus locum
ipsum, extra quem, juxta Legis præscriptum, sa-
crificare non licebat, templum videlicet per Ro-
manum militem curavit evertendum.

Num

Num & Circumcisio abroganda erat?

Quidni? Ad Vetus quippe Testamentum & pactum pertinens, atque idcirco unà cum illo abroganda, Heb. 8. Ideò Apostoli in Synodo Hierosolymitana, ut & in Epistolis suis ostendunt circumcisionē ad populum Christianum sub regno Messia non pertinere, Actor. 15. & Gal. 2. & 5. & 6. Praesertim quia Circumcisioni successit sacramentum initiationis aliud, nempe Baptismus, Coloss. 2.

Idem de Agno Paschali censes?

Omninò. Fuit enim typus agni Dei tollentis peccata mundi, Esa. 53. & Ioh. 1. Sicut typum hunc ad Servatorem Christum accommodat Iohannes cap. 19. itemq; Paulus 1. Cor. 5. scribens: Pascha nostrum pro nobis immolatus est Christus. Et quia fuit agnus Paschalis non minus atq; Circumcisio sacramentum veteris pacti: Ideò Christus Dominus in illius locum coenam suam Eucharisticam substituens, hoc ipso declarat, paschalem coenam tanquam umbram duntaxat futurorum bonorum esse abrogatam.

Idem de festis, Sabbathis & Neomeniis, aliisque ceremonialibus seu Leviticis ritibus statuendum existimas?

Maximè. Sic enim Col. 2. Paulus scribit: Ne quis vos iudicet in cibo & potu, aut in parte diei festi aut novilunij, aut Sabbathorum, quae sunt

¶ 3 umbrae

umbra rerum futurarum, corpus autem est in Christo. Idem ad unguem iudicium est de arca propitiatorij, cuius abolitionem haud obscure pronuntiavit Ierem. cap. 3. hoc memorabili vaticinio: Dabo vobis, inquit Dominus, pastores juxta cor meum, & pascent vos scientia & doctrina. Cumq; multiplicati fueritis & creveritis in terra, in diebus illis, ait Dominus, non dicent ultra, arca testamenti Domini, nec ascendet super cor, neque recordabuntur illius, nec visitabitur, nec fiet ultra. In tempore illo vocabitur Ierusalem solium Domini, & congregabuntur ad eam omnes gentes. Idem iudicandum est de reliquis minus principalibus Levitica legis partibus atq; ritibus, qui principalioribus illis suo modo subserviebant, & inter reliqua hoc etiam munere fungebantur, ut ijs ceu pariete intermedio populus Israëliticus à ceteris in orbe gentibus disterminaretur. Hoc interstitium maceriae, quia Christus in Novo Testamento diruit, & legem mandatorum in decretis sitam abrogavit: Idcirco nihil ultra opus est his, in quibus olim differentia populi Dei aliarumq; gentium sita erat. Qua de causa & discrimen ciborum sublatum est, ut non modò citatum Pauli dictum ad Coloss. 2. perhibet, sed id Apostolo Petro quoque peculiari visione caelitus ostensum est.

Actor. 10.

DE

DE LEGIBVS FO-
RENSIBVS.

Ut de legibus Forensibus per Mosen latis,
brevissimè dicatur: Obligant ne illæ
sub regno Messiaë populum
Christianum?

Equidem morale, quod illis inest & generis
rationem obtinet, non tollitur, sed manet, ut quod
parentes sint honorandi, quod è converso poena
digni sint, qui parentibus malè aut dicunt aut fa-
ciunt. Similiter quod coercendi sint flagitiosi, re-
primenda scelera, homicidia, adulteria, furtiva.
Speciale autem quod circumstantijs pensatur,
velut, quo modo, quo in specie supplicio, aut qua
poena quodvis sit puniendum flagitium atq; scelus,
ut quod furtiva redditione quadruplici, adulteria
lapidatione puniebantur. Ad has, inquam, cir-
cumstantias, & ad hanc poenæ speciem obligati
non sunt Christiani, dummodò genus servetur,
id est, iusta severitate congruis debitisq; poenis
afficiantur manifestè scelerati. Quamvis & hoc
largimur, posse quasdam Mosaicas leges forenses
in usum nostri fori ac iudicij revocari, id verò
non sub necessitatis opinione, sed liberè, & qui-
dem non propter Mosen, quem constat unius dun-
taxat gentis fuisse Legislatorem, sed quia
leges illæ sunt juri naturæ legiq;
morali consentanea.

E. 4

Quibus

Quibus argumentis confirmas ad Christianos Leges forenses Mosaicas non pertinere?

Patet id primùm inde, quia leges illæ ad constituendam regendamq; politiam Israëliticam unice pertinebant, qua eversa palam est ipsas quoque leges suo officio pridem esse defunctas. Et certè à Iacobo Patriarcha perspicuè pronunciata est everfio & ablatio sceptri de Iuda Genes. 49. Ad sceptrum autem illud pertinebant leges Mosaicæ forenses. Idcirco unà cum Iudaico sceptro defierunt. Adhæc erant quedam leges politica sic comparata, ut eas nec Israëlitæ quidem extra patriam suam usurpare potuerint, quippe ad conditionem terra Canaan unice accommodata: quas tamen absurdum esset in usum revocare, cessantibus causis, ob quas introductæ erant, veluti quòd frater fratri defuncto semen excitare, ducta ipsius vidua, renebatur. Quedam insuper suum habebant respectum ad partem quandam legis Levitica, qua sublata, ipsas quoq; leges illas forenses hanc respicientes, tolli necesse erat: ut quòd is, qui cædem patrasset fortuitam, continere se debuit intra præscriptos asyli terminos usq; ad mortem summi sacerdotis. Quia verò sacerdotium illud abrogatum est, utiq; legem etiã hanc suapte sponte concidere necesse fuit. Quasdam porro Christus ipse diserta voce sustulit, veluti leges de Polygamia, deq; libello repudiij, Matth. 19. Quin & ante Christi adventum Iudæi in exilio

Babyl-

Babylonico subiecti erant legibus presentis Magistratus, id est, regis Babylonij: quanto magis ergo post exhibitum Christum, & post everfam politiam Mosaicam ablatumq; sceptrum Christiani non ad forenses leges Mosis, sed presentis Magistratus sanctiones & constitutiones sunt alligati. Quod clarissime docet Apostolus Roman. 13. dum Christianos Romae degentes parere vult presentis suo magistratui. Ergo & legibus ejus honestis: idq; non tam propter iram, quam propter conscientiam. Sic Paulus ad tribunal Caesaris provocans, illiusq; judicio stare sustinens, probat utiq; leges ejus, in quantum videlicet erant consentaneae legi Dei morali & naturali equitati.

DE CONSILIIS PAPISTARUM.

Quoniam Pontificij distinguunt inter praecepta & consilia, & operibus secundum illa consilia factis, singularem coram Deo efficaciam olim attribuerunt, quaero quid de hac tota doctrina statuendum existimes?

Equidem distinctio ipsa inter praeceptum & consilium non rejicitur, quandoquidem & Apostolus Paulus 1. Cor. 7. de conjugio & virginitate differens, hac distinctio non obscure utitur, quando scribit, se de conjugibus habere praeceptum Domini, ne se mutuo deserant, virginibus autem

E s consi-

consilium se dare, ut ob necessitatem tum presentem innuptæ maneant. At distinctio Romanensium totaq; doctrina de consilijs, ut eâ sub Papatu traditur, Pharisæica est, impia est, & Dei manifesto verbo è diametro contraria.

Quæ dixerunt esse consilia?

Consilia novæ legis (sic appellarunt Evangelij doctrinam, quippe lege Moisaica, ut ipsi docebant, perfectiorem & præter præcepta continentem insuper consilia vitæ æternæ meritoria) dixerunt esse paupertatem spontaneam, abnegationem sui seu obedientiam (scilicet monasticam) castitatem, abstinentiam à vindicta, tolerantiam malorum, supererogationem operum misericordiæ, compefcere juramenta & verba otiosa, vitare occasionem peccandi, sic prudenter operari, ne hypocrita efficiare, facere quod doces, non esse de victu sollicitum, corripere fratrem peccantem. Hac pro arbitrarijs consilijs venditarunt Romanenses, idq; ex quibusdam concionibus Christi, de quibus grata brevitate aliquid dicendum est.

Quid ergo de his sentis?

Quod attinet primum consilium spontaneæ videlicet paupertatis, nituntur id hinc probare, quia suaserit Dominus adolescenti prædiviti, ut omnia venderet, & daret pauperibus, Matth. 19. Sed contextus ipse liquido perhibet, non id consiliũ fuisse arbitrarium, sed expressum manda-

mandatum, utpote, quod sine jactura perpetuae salutis omitti ab eo minimè poterat. In casu igitur vel vocationis (qualis erat hic) vel etiam confessionis omnino tenemur, sub metu & periculo certissimo amissionis caelestium bonorum deserere omnia & Christum sequi, quod adeo non relinquitur arbitrio nostro liberum, sed divini praecepti vim obtinet, ut Christus eum, qui in tali casu bona sua deserere, & vel vitam suam relinquere detrectat, palam pronunciet indignum regno Christi. Iam quod Monachorum & Monacharum votum spontaneae paupertatis, nihil aliud fuerit, quam ludus merus coram Deo & hominibus: res ipsa & experientia luculentissime testificata est. Vovebant paupertatem in monasterijs servandam, cum in illis nihil eis deesset, non modò ad necessitatem, sed etiam ad rerum abundantiam. Accedebat insuper opinio meriti, quòd sua hac paupertate, quae nulla erat, & sibi & alijs divitias regni caelestis promereri possent. Qua perversa opinione derogabatur officio Salvatoris Christi, qui sua solius paupertate sempiternas nobis divitias comparavit & acquisivit, secundum illud Pauli Apostoli, 2. Cor. 8. Nostis beneficentiam Domini nostri Iesu Christi, quòd propter vos pauper factus sit, cum esset dives, ut vos illius paupertate discereretis.

An non autem hoc votum paupertatis Monasticum congruit ad Rechabitarum votum, ab ipso Domino approbatum, Jer. 35. qui ex præscripto Jonadabi patris sui abstinebant à vino, non possidebant vineas, nec agros, nec domos, sed tanquam in terra peregrini in tabernaculis habitabant?

Præterdunt quidem Pontificij monastico suo voto exemplum hoc Rechabitarum, quod verò penitiùs introspectum cum votis Monachorum nihil commune habere deprehenditur. Non enim Rechabitis hæc constitutio data fuit à patre Ionadab, ut peculiari cultu deservirent Deo, quem admodum Monachi institutum suum pro eximio Dei cultu jactitant. Sed ut illud vitæ genus perpetua illis esset concio, quod essent in terra peregrini. Multò verò minus observatione constitutionis paternæ mereri sibi voluerunt remissionem peccatorum & vitam æternam: quom finem in Christi meritum extremè contumeliosum vota Monachorum præfixum sibi habent. Nec illi de statu gloriabantur perfectionis, ut personas extra id vitæ genus constitutas præ se despicerent, quod Monachi peculiaris cujusdam & eximie sanctitatis opinione turgidi haud obscure factitabant. Ad hæc habitabant Rechabite in Tabernaculis: Monachi verò in cœnobijs regio sumtu magnificè exstructis. Rechabite nullas possidebant vineas, nullos agros: Cœnobia verò Monachorum adjun-

adjuncta habebant optima quæq; prædia. Præterea Rechabite abstinebant à vino (quæ erat particula instituti Nazaraorum, Numer. 6.) Monachi vicissim vini usum interdici sibi nullo modo patiuntur. Denique, Rechabite vivebant in conjugio (conjugio enim mediante genus suum & familiam ab aliquot seculis ad Ieremiæ usq; tempora deduxerunt) at Monachorum voto & instituto nihil quicquam tam adversum, tam inimicū est, quàm conjugium, utpote cujus usum solenni voto penitus abjurare consueverunt. Vnde quanta sit inter Rechabitarum institutum & inter vitæ genus Monasticum dissimilitudo, imò quàm multiplex repugnantia, quisq; non omnino stupidus animadvertit.

Quid de consilio altero censes, quod obedientiæ votum complectitur?

Duplex est obedientia. Altera à Deo præcepta & mandatis ejus comprehensa, ad quam obedientiã nos peculiari voto in baptisimi fœdere astringimus, puta, quòd velimus obedire Deo, secundum regulam charitatis vivere, & his, qui nobis à Deo præfecti sunt, debita obsequia præstare. Hanc obedientiam non esse consilij, sed præcepti, res ipsa manifestè loquitur. Altera obedientia est, qua quis collum submittit humanis traditionibus, & secundum hæc Deo servire præsumit: Cujusmodi obedientia est Monachorum, sita in peculiari vestitu, in abstinentia à certis cibis, à contactu pe-

cuniæ,

tunica, in vigilijs, & hujus generis alijs, quæ cu-
 jusq; ordinis Abbas vel Prior dictaverit vel in-
 junxerit. Hæc obedientia nec præcepto aliquo Dei
 nec consilio ullo vel Christi vel Apostolorum ejus
 nititur, sed sola, ut ipsimet loquebantur inten-
 tione bona, seu potiùs, ut scriptura loquitur, ad-
 inventione humana, secundum præcepta & do-
 ctrinas hominum, de quibus Christus ex Esaie 29:
 Frustrà colunt me docentes doctrinas, præcepta
 hominum, Matth. 15. Et apud Moysen inquit Do-
 minus: Non facies quod tibi bonum videtur, sed
 quod ego tibi præcipio, hoc tantummodò facies.
 Non addes neq; detrahes quicquã, Deut. 4. & 12.
 Cujusmodi ἐθελοθρησκεία; D. Paulus ad Col. 2.
 graphice depingit, hoc modo scribens: Si mortui
 estis cum Christo ab elementis mundi, quid quasi
 viventes in mundo decretis tenemini, ne tetigeris,
 ne gustaris, neq; contrectaris, quæ omnia ipso per-
 eunt abusu juxta præcepta & doctrinas hominũ,
 quæ verbotenus quidẽ habent speciem sapientiæ per
 superstitionem ac humilitatẽ animi & læsionem
 corporis, non per honorem aliquẽ ad expletionem
 carnis. Taceo quod non sine blasphemia monachi
 & moniales habitum seu vestitum suum monasti-
 cum putabant esse armaturã contra Satanam, &
 habere vim peccata tegendi coram Deo, id quod
 formula consecrationis vestitus monastici palam
 ostendit: simul etiã operibus illius monasticæ obe-
 dientie meritum adscribebant, quo & sibi & alijs
 remissionem peccatorum & vitam æternam pro-
 mererẽ

mereri possent, quæ simul omnia cum toto Euan-
gelio aduersa fronte pugnant.

Castitatis votum quod attinet, negare non
potes, Apostolum dare consilium virgini-
bus, ut innuptæ maneat, 1. Cor. 7. ex eo
votum suū de cælibatu nō obscure con-
firmari autumant Romanenses?

Ingens & multiplex est utrobique diversitas.
Primo enim Paulus non vult, ut voto quodam se
adstringant virgines ad servandum cælibatum,
unde post non liceat resilire; hunc enim laqueum
non vult eis inijcere, ut clarissimis verbis protesta-
tur, sed ita suadet eis vitam cælibem, ut tanti-
isper in statu virginis atque maneat, quantisper
salva conscientia integræque castitate non corporis
duntaxat, verum etiam spiritus & animi in eo
manere possint. Deinde nec indifferenter quibus-
libet hoc de cælibe vita consilium dat, sed ijs, quæ
continentiæ dono præditæ sunt, & quantisper se
continere possunt. Sic enim ait: Dico inconjugatis
& viduis, bonū eis est, si manserint ut & ego, quod
si se non continent, contrahant matrimonium. In
Papatu autem non animaduersa aut observata hac
differentia detrudebantur in collegia monachorum
& monacharum personæ admodum juvenes & propè
infantes, de quibus an continentia donū habituræ
essent, nondum iudiciū fieri poterat. Hinc factum,
ut horribilibus flagitijs collegia illa contamina-
rentur, quod experiētia mundū edocuit, maxime
verò novissimus dies sentinam omnium scelerum
flagi-

flagitiorumq; coram universo mundo in clarissima
 nam lucem proferet. Adhuc divus Paulus non me-
 minit ullius meriti, quod Dei gratiam sibi concili-
 ent & vitam eternam comparent ij, qui in ce-
 libatu permanent. Absit à sanctissimo Apostolo
 fœdus, & Antichristianus error. Sed consilij sui
 causam assignat necessitatem tunc presentem.
 Quia enim tum omnia fervebant persecutionibus
 Tyrannorum adversus Christianos: prestabat
 rebus sic stantibus, vivere extra matrimonium,
 quandoquidem personæ calibes ad subeunda exi-
 lia, quin etiam pro Christi nomine supplicia se-
 renda longè erant expeditiores, quàm qui conju-
 gij lege astricti nonnunquã in gratiam conjugum
 aut liberorum aliquid committebant, quod cum
 professione Christiana minùs congrueret.

Imò videtur Apostolus per claram anti-
 thesin virginitatis statum ratione sancti-
 tatis & meriti anteferre conjugio. Dicit e-
 nim innupta curat ea, quæ sunt Domini,
 ut sit sancta; cum corpore tum Spiritu.
 Contra quæ nupta est, curat ea, quæ
 sunt mundi, quomodo placitu-
 ra sit viro?

Hec nihil quicquam sonant de merito: Nec
 Apostolo in mentem venit sacrum conjugij statum
 ut impurum rejicere, in quo mundana tantum
 curentur, non ea, quæ Dei sunt. Committitur
 autem fallacia à dicto secundum quid ad dictum
 simpli;

simpliciter. Quàm præclare enim Paulus sentiat
 de vita conjugali, vel ex eo liquet abundè, quod
 prohibitionem conjugij doctrinam demoniorum
 nominat, 1. Tim. 4. Ipsosq; adeò Doctores Ecclesie
 (quorum vel maxime est curare, quæ Dei sunt)
 vult esse maritos, qui domui suæ benè præsit, qui
 liberos habeant subditos cum omni reverentia, 1.
 Tim. 3. Non ergo simpliciter, sed secundum quid
 allegatur ista ratio, & matrimonio celibatus an-
 tesertur, nimirum itidem respectu necessitatis tum
 præsentis. Etenim, quia pleriq; Corinthij adhuc
 Ethnicis superstitionibus addicti erant, fieri pote-
 rat, ut per nuptias convenirent diversæ religionis
 personæ, quarum ea, quæ Christianam fidem su-
 sceperat, ad afflictionem habitura erat in carne, id
 est, per pressuram omnis generis incommoditates, in
 hoc dispari conjugio. Dum enim studebat placere
 conjugij, vix præcavere poterat, ne quid in grati-
 am infidelis conjugis admitteretur, quod profes-
 sioni fidei Christianæ esset contrarium. Atq; hoc
 est, quod ait, nuptiam curare ea, quæ sunt mundi,
 quomodo placitura sit marito. Qui maritalis er-
 ga conjugem affectus etsi per se bonus est: per ac-
 cidens tamen occasione illius in religione dispari-
 tatis evadere poterat perniciosus. Et ad hanc
 conditionem eorum temporum respe-
 xisse Apostolum, textus ipse in-
 dubitatò indicat.

F

Paulus

Paulus Apostolus i. Tim. 5. eas viduas, quæ post susceptum votum cælibatus nubunt, expressè damnat, & primam fidem abnegasse scribit. Eadem ergo ratio non licet votum cælibatus monastici semel factum rescindere?

Differit eo loco Paulus de Viduis, & describit, quæ & quales ad ministeria serviti. q³ Ecclesie cooptandæ sint. Et hæc sumptibus Ecclesie publicis alebantur ad certa vicissim officia obligata ad quæ præstanda requirebatur, ut porro manerent cælibes, ne si sumptibus Ecclesie alerentur conjuges eorumq³ familia, hinc Ecclesia oneraretur. Ad hæc ergo ministeria atq³ operas non vult adhiberi viduas juvenculas, ut pote, quæ ob ætatis imbecillitatem cælibem vitam ferre non possint, sed mox mutato proposito, ad alteras nuptias pro libitu aspirent, ea interim fide, qua sese ad serviendum Ecclesie obstrinxerant neglecta, quin etiã fide, quam Salvatori in Baptismo dederat, per vitæ impuritatem nefarie rescissa & violata. Qua de causa viduas hanc ad rem deligi jubet ætatis profectioris, & ad conjugium porro ineundum inhabiles. Hic est loci hujus Paulini sensus verus ac genuinus. Tam autem non suffragatur Apostolus doctrinæ de votis monasticis, ut potiùs ex contextu verborum promptum sit argumentum eruere, quo Antichristianum illud institutum validè concutiatur & evertatur. Cur enim Apostolus illas juniores viduas à ministerijs illis rej-

cit?

dit? quia ad vitam celibem castè transigendam ob ætatem lubricam erant ineptæ, idcirco precipit, ut nubant, liberos gignant, domum administrant, & nullam occasionem maledicendi præbent Adversarijs.

Cur vicissim ad illa ministeria viduas vult assumi, quæ jam ætatis annum sexagesimum exceſſerant?

Nimirum, quia hæc ætas (in ijs maxime personis, quæ antehac in virginitate & subsecuto conjugio honestè sese compararant) tentatione Satanae, & vitillatione carnis amplius ita non infestatur. Pontificij econtra nullo habito discrimine ætatis, nulla infirmitatis humane ratione subducta, in Collegia Monacharum detrudunt puellas adhuc adolescentulas ac propemodum infantes, non sine certissimo periculo salutis animarum. Quia enim illæ dono continentia (in eo præsertim vegeto & florido adolescentiæ iuventutisq; tempore) præditæ non sunt: infinitis Satanae tentationibus implicantur, ut libidinum flammis eò ardeant validius & flagrantius, quod omnis honesti conjugij spes eis per sceleratum illud votum ademta est. Vnde sequuntur innumera, licet occulta, coram Deo tamen horrenda & abominanda peccata, quibus magis magisq; irretitæ & contaminatæ in sempiternum tandem demerguntur exitium. Adde quod Paulus in suo de viduis tractatu non meminit aliqujus vel cultus vel meriti, quod aliàs Pontificij,

non sine grandi in Christum ejusq^{ue} meritum contumelia, suis votis atque cum primis impuro suo calibatu adscribunt.

Quid de cæteris Consilijs statuis, quæ in suo catalogo superioribus attexunt Romanenses?

Ea breviter recensere ac simul strictim consutare placet. Annumerant superioribus abstinentiam à vindicta. Atqui hoc vindictæ genus de quo Salvator differit expresso Dei verbo multoties iterato prohibetur. Idq^{ue} sub interminatione gehennæ, Matth. 5. Et præcipit vicissim Spiritus sanctus in scriptura, ut ommissa vindicta privata, potius beneficiamus inimicis nostris, itidē Matth. 5. Quod non ipse solum in Novo Testamento, sed etiam Moses in Veteri sancit ac præcipit, Exo. 23. Levit. 19.

Non minùs tolerantia malorum omnibus est mandata *ὑποταξίῃ* discipulis & sectatoribus Christi, secundum illud, qui meus vult esse discipulus, tollat crucem suam & sequatur me Luc. 14. Et qui non accipit crucem suam ac sequitur me, non est me dignus.

Supererogationem bonorum operum quod attinet: sanè si quis ampliùs quid faciat, quàm ab eo requisitum sit, exempli gratia: Si quis suæ facultates omnes ultrò det pauperibus: est id quidem opus non præceptum, & si sine propinquissimorum detrimento id fiat, & à verè pietate

pietatis affectu & in pauperes misericordia pro-
manet, suam habet apud Deum laudem & retri-
butionem haud dubie repositam: Eam vero non
ut meritum, de quo nugantur Pontificij, sed ut
compensationem mere gratuitam. Sin id fiat, vel
ut specteris ac lauderis ab hominibus, habes jam
mercedem tuam cum hypocritis, Matth. 6. vel ut
vitam aeternam promereare, exitiosum tibi eva-
det, quicquid hoc sine suscipis, quantumcumq; il-
lud coram hominum oculis appareat.

Quod de compescendis juramentis affert,
ne hic quidem Christus consilium aliquod dedit,
sed praecepit & injunxit suis, ut à temerarijs ju-
ramentis nec non ab impijs formulis per creatu-
ras jurandi studiosè sibi caveant.

Consimili ratione ut à verbis otiosis absti-
neatur, Christus eam exhortationem, non ut
consilium, sed ut praeceptum suis commendat, ad-
dens hanc gravissimam comminationem, quòd de
quolibet otioso verbo, quod locuti fuerint homi-
nes, ratione reddaturi sint in die judicij, Matth. 12.

Non minus sub praecepti ratione jubemur de-
vitare peccandi occasiones, ne indulgendo
illis Deum tentemus, & ab eo deserti ex occasione
illa peccandi precipitemur à Satana in ipsa pec-
cata.

Tenemur etiam ex debito sic operari, ne
hypocritæ efficiamur, Matth. 6.

Tenemur quæ docemus ipsi factis exprimere,
Rom. 2.

Tenemur non Ethnicorum in modum esse solliciti, Matth. 6.

Tenemur, habita ratione circumstantiarum, corripere fratrem peccantem, Matth. 18.

Hæc omnia non ut consilia proponuntur nobis, sed ut regulæ, præcepta & mandata. Multò verò minùs de merito apud Deum quicquam vel Christus vel Apostolorum quicquam concionatur. Quin contra potiùs affirmat Dominus, si omnia faciamus, quæcunq; præcepta sunt, dicendum nobis esse, quòd servi simus inutiles, qui tantùm id fecerint, quòd facere debuerint, Luc. 16.

Omissis reliquis jam enumeratis, inficias ire non potes consilium esse, cùm ait Dominus: Si quis te percutiat, super maxillam dextram, porrige ei & sinistram. Non enim hoc esse præceptum, Christus exemplo suo comprobavit, quando percussus à ministro Sacerdotis ei certè maxillam alteram non obtulit?

Tenendum hoc Matth. 5. non simpliciter, sed comparatè esse intelligendum, ut sensus verborum Domini sit: quòd homo Christianus paratus esse debeat ad duplicè potiùs injuriam sustinendam, quàm ut malum malo rependere satagat. Proinde paratum illum esse debere ad alteram potiùs alapam excipiendã, quàm ad priorè in adversarium regerendam. Quo sensu jubet etiam, si quis te velit in jus vocare ad tollendam tunicã tuam.

us

ut permittas ei & pallium : Nimirum ad equanimitatem suos exhortans, ut praoptent cum aliquo rerum suorum dispendio pacem redimere, quam odiosè coram Iudicio politico cum adversario contendere.

DE EVANGELIO.

Quid significat Euangelium ?

Euangelium vi etymii significat letum nunci-um, & εὐαγγελίζεσθαι rem bonam atque letam annunciare. Quod verbum licet de quovis lato nuncio accipiatur: tamen κατὰ θεὸν refertur ad magnum illud Euangelium de salutifera Dei gratia miseris peccatoribus per Christum exorta. Velut Esa. 52. reddente Apostolo ad Rom. 10. Quàm speciosi sunt pedes Euangelizantiũ pacem, euangelizantium bona : Et Angelus ad pastores ait, Luc. 2. Euangelizo vobis gaudium magnum. Propter hanc θεολογίαν seu excellentiam significationis fit, ut verbum hoc absolutè positũ, denotet prædicationẽ Euangelij de Christo, quo sensu Apostolus se ad Euangelizandum missum esse profitetur, 2. Cor. 1.

Quid est Euangelium ?

Est concio gratia, qua Deus per & propter filiũ suum remissionẽ peccatorũ, liberationẽ à potestate Satana, & vitam aeternam offert & annunciat omnibus hominib⁹ vera fide in Christũ accipiendã.

F

Doctri.

Doctrina Euangelij num in Novo dun-
taxat Testamento est tradita ?

Imò etiam in Veteri. Omnes enim promissio-
nes de gratuito favore erga nos, similiter de
Christo, ejus officio & beneficijs ad Euangelij do-
ctrinam pertinent. Qualis est promissio de semine
mulieris contrituro caput serpentis, Gen. 3. de se-
mine Abrahae, in quo omnes gentes terrae benedi-
cendae sint, Gen. 22. Quam promissionem allegans
Apostolus manifestè perhibet, Deum Abrahamo
rem latam prius annunciasse, quòd ex fide Chri-
sti gentes justificandae sint. Vbi simul hoc ipsum
verbum exstat, de quo modò agimus $\pi\rho\sigma\epsilon\upsilon\eta\ \nu\epsilon\omega\gamma\epsilon\lambda\iota\sigma\mu\alpha\tau\omicron$, Gal. 3. Huc quoq; pertinent promissio-
nes ad unum omnes, quae vel in Mose, vel Psalmis,
vel Prophetis, de Messia & impetranda per ipsum
remissione peccatorum uspiam occurrunt.

Cur verò Johannes scribit: Lex per Mo-
sen data est, gratia & veritas per Jesum
Christum exorta est ?

Non quòd Moses solam legem docuerit, omissa
concione Euangelij. Diversum enim ex allegatio-
ne Paulina demonstravimus: Sed institutum est
Euangelistae, commonstrare utriusq; pacti legalis
& Euangelici diversos mediatores. Etenim me-
diante Mosis ministerio promulgata olim lex est:
gratia Dei verò non ex lege Mosis, sed per Iesum
Christum nobis hominibus est exorta, qui Euan-
gelion etiam obscurius aliquanto in V. Testamento
predi-

prædicatum, nunc dilucidissime annunciavit, ostendendo, quæ olim promissa fuerint, ea nunc palam exhiberi & luculentius in omnium terrarum ac gentium orbem annunciari.

An non Euangelium rectè definitur con-
 cio pœnitentiæ & remissionis
 peccatorum?

Equidem si generaliori significatione accipia-
 tur pro tota doctrina ministerio Apostolorum in
 orbem sparsa, tum rectè appellatur prædicatio
 pœnitentiæ & remissionis peccatorum, quod osten-
 dit collatio dicti apud Marcum cap. 16. & sen-
 tentiæ, quæ Lucæ 24. legitur. Vi enim apud Mar-
 cum præcipit Dominus Apostolis, ut Euangelium
 prædicent omni creaturæ, sic idem hoc præceptum
 commutatis verbis ita proponitur Luc. 24. ut præ-
 dicent pœnitentiam ac remissionem peccatorum
 in omnes gentes. At quando vox Euangelij alie-
 ram doctrinæ cœlestis partem à doctrina Legi di-
 stinctam specificè designat; tum non rectè defini-
 tur prædicatio pœnitentiæ. Nam contritio seu
 agnitio peccatorum, quæ est altera pœnitentiæ
 pars, non ex Euangelio nascitur, sed ex lege, se-
 cundum illud: Peccatum non cognovi, nisi per le-
 gem, Rom. 7. Proinde in speciali significatione u-
 surpata Euangelij vox pro solius gratuiti favo-
 ris Dei, remissionis peccatorum & vite æternæ
 annunciatione sumitur.

Quotuplices sunt promissiones
 Euangelij?

F 5

Dupli-

Duplices. Quaedam sunt universales, quae spectant ad omnes homines sine differentia. Quaedam vero sunt particulares, ad solos credentes determinatae.

Dic exempla prioris generis?

Universales promissiones sunt haec: Vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat. & 1. Tim. 2. Deus vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis pervenire. Et 2. Pet. 3. Deus non vult ullos perire, sed omnes ad poenitentiam recipere. Sic ad Tit. 2. legitur: Exorta est Dei salutifera gratia omnibus hominibus. Idem vult Spiritus S. in ijs scripturis, quae de Christo pro totius mundi peccatis passo leguntur, Esa. 53. 1. Tim. 2. 1. Ioh. 2. Quae item de Evangelio omnibus creaturis annunciando, de poenitentia praedicanda universis hominibus Scriptura continet, Marc. 16. Luc. 24. Actor. 17.

Profer exempla secundi generis?

Etsi haec promissiones sunt universales, respectu omnium credentium, respectu tamen totius mundi verae sunt particulares, quippe per expressam restrictionem ad solos credentes determinatae, ut sunt: Beati omnes, qui confidunt in Deo, Psal. 2. Omnis, qui invocaverit nomen Domini, salvabitur, Ioel. 2. Et in Novo Testamento, Ioh. 3. Omnis, qui credit in eum, non perit, sed habet vitam aeternam. Rursum: haec est voluntas eius, qui misit me, ut omnis, qui videt filium & credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam, Ioh. 6. Similiter; justitia Dei in omnes & super omnes eos, qui credunt, Rom. 3.

Rom. 3. Atq; iterum; Omnis qui crediderit in eum, non pudebit, Rom. 9.

Prius genus Evangelicarum promissionum estne plane absolutum & indeterminatum, ita ut Deus omnes homines velit salvos fieri, sive in Christum mundi redemptorem credant, sive non credant?

Minime. Nam etiam he promissiones, que in questione salutis καθολικως, universales sunt, & ad omnes ex aequo homines referuntur, non tamen sunt indeterminatae aut absolute, sed ad ordinem in Dei consilio constitutum determinatae, atq; sic verae in Christum fidei consideratione limitatae. Sic Ezech. 33. non ait Dominus. Vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut vivat peccator, sive convertatur sive non convertatur: sed voluntas illa Dei benefica refertur ad omnes homines cum respectu conversionis, ut nimirum convertatur impius a via sua mala, atq; sic conversus vivat. Plane ut & Paulus 1. Tim. 2. non ait: Deus vult omnes homines salvos fieri, sive ad agnitionem veritatis veniant, sive non veniant: sed ostendit, Deum de omnibus hominibus velle utrumq; cum fidem tum salutem, idq; conjunctim non separatim. Quamobrem utriusq; perspicua ac disertam mentionem facit: Deus vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Quemadmodum & D. Petrus non modo salutis, sed poenitentiae quoque meminit, quando scribit: Deum non velle ullos perire, sed omnes ad poenitentiam recipere.

PRO-

Promissiones secundi generis habent ne aliquid consolationis: quia enim respectu mundi sunt particulares (licet respectu credentium universales) Videtur ista particularitas omnem, turbare & excutere consolationem, siquidē ex particulari nihil subsumi possit?

Certum est promissiones has licet non ad omnes indiscriminatim homines pertineant, sed ad solos credentes restrictae sint, solidam nihilominus ac validam eas spirare consolationem. Quemadmodum autor earum Spiritus S. hoc sine proponit illas in Euangelio, ut pijs ad unum omnibus, quantumvis in fide languidis ac infirmis, certum prebeant solatium. Porro haec promissiones, quia dominantur in electione credentium, utpote quae in promissionibus hisce velut ad vivum exprimitur (cum nihil aliud sit, quam decretum Dei aeternū de salvandis omnibus in Christum verē constanterq; credentib;) apparet hinc evidenter constare particulā huic electioni ad solos credentes determinatā suū firmū ac immotū solatium, eamq; tam esse fidei nostrae verum objectum, quam commemoratae promissiones fidei objecta sunt. Ex hac ergo electione se contra portas inferorum erigere & solari possunt credentes omnes. Nec tamen infidelibus desperandi de Dei gratia praebeatur occasio per electionis particularitatem, dummodò ex hoc divinae praedestinationis mysterio secludatur imaginatio decreti absoluti, & firmiter constitua-
tur

tur Deum in eternitate ab Electione gratuita
præter eos, qui per incredulitatem semetipsos in
tempore excludunt, exclusisse neminem.

Quid differunt promissiones Euangelij à
promissionibus legalibus?

*Euangelij promissiones sunt merè gratuita;
legales verò habent annexam conditionem serva-
re legi, & proinde non hoc modo, quo Euangeli-
cæ, sunt gratuita.*

Imò videntur & legis promissiones esse
gratuitæ, secundum illud Christi, Luc. 17.
Si omnia feceritis quæcunq; præcepta sunt
vobis, dicite: Servi inutiles sumus. Quic-
quid ergo Lex promittit, gratis pro-
mittit, & non ex debito?

*Sanè Deus creaturæ suæ nullam pro perfectò
etiam obsequio debet remunerationem, sed quic-
quid hujus facit, gratis facit. Id ipsum tamen non
sine interventu propriæ obedientiæ. Euangelicæ
autem promissiones pollicentur gratiam Dei &
cœlestem hereditatem, non propriæ alicujus obe-
dientiæ respectu, sed ob alienam obedientiam à fi-
lio Dei præstitam, nobis autem fide imputatam.
Sic ergo promissiones legis etsi indicato modo gra-
tuitæ sunt, tamen conditionales sunt, requiren-
tes ut dictum est, propriam à nobis obedientiam.
At promissiones Euangelij respectu nostri simpli-
tèr atque omni modo gratuita sunt.*

Dixi.

Dixisti Evangelicas promissiones non esse conditionales. At fides certè videtur omninò esse conditio, siquidem absq; fide in Christum non datur, quod in Evangelio promittitur?

Propriè loquendo, fides rationem conditionis non habet. Quod enim sub conditione promittitur, id respectum habet ad dignitatem præstati laboris aut antegressi meriti. Fides autem non hoc modo res in Evangelio promissas apprehendit & consequitur, sed tantùm sub ratione mediæ seu instrumenti aut mendicæ manus, quæ remissionem peccatorum & salutem ex mera Dei misericordia vobis erogatam & oblatam apprehendit.

Cùm non exiguùm lumen afferat universæ Theologiæ distinctio Legis & Evangelij, audire cupio discrimina, quæ utro-
biq; sese offerunt?

Multa quidem ea sunt, quæ tamen breviter & summarim libet perstringere.

Primò lex est aliquo modo natura nota, Rom. 2. Evangelium autem mysterium est à seculis absconditum in Deo, quod non nisi Dei patefactione potuit nobis innotescere, Rom. 16. 1. Cor. 2. Eph. 3.

Deinde Lex docet, quid faciendum sit: Evangelium vicissim quid credendum.

Tertiò Legis promissiones, ut dictum est, habent annexam conditionem impletæ legis per obsequium proprium, non alienum: Evangelium sine
ulla

ulla conditione laboris aut obsequij proprij spondet vitam eternam credentibus, idq; ob soluz laborem alienum, opus videlicet obedientie Christi.

Quarto Lex promulgata est inter tonitrua & fulgura, & voces & lampades, ejusq; certitudo stupendis sane ac terribilibus miraculis sancita est. Exod. 20. Euangelium autem non minus obsignatum est miraculis, sed gratiosis & salu- tiferis, Matth. 11. Luc. 9. Ad cujus predicationem Apostoli die Pentecostes amabilibus signis instru- cti ornatiq; sunt, Actor. 2.

Quinto differunt etiam Mediatore. Legis enim promulgande mediator est Moses, Gal. 3. Evan- gelij autem mediator est Christus, 1. Tim. 2. Sicut scriptum est; Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum exorta est, Ioh. 1.

Sexto, Lex ratione principalis sui usus annun- cianda est hominibus securis & impijs, ut hoc mal- leo conterantur illorum corda, & ad agnitionem peccatorum adigantur. Euangelium autem pre- dicandum est pauperibus spiritu, Matth. 11. & contritis corde Esa. 61.

Septimo precipuum discrimen est situm in officio, nec non effectibus, quos & Lex & Evan- gelium ciere solet in hominibus. Legis enim offi- cium est ostendere peccata, denunciare maledicti- onem ijs omnibus, qui non permanent in cunctis, que scripta sunt in volumine Legis, Deut. 27. Quo fulmine terret & prosternit mortaliu cōscientias.

Evangelium


96 *ARTIC. DE EVANGEL.*

Euangelij vicissim munus est erigere animos hominum voce legis exterritos, monstrato mediatore Novi Testamenti Iesu Christo.


Octavo per legem non datur Spiritus sanctus: per doctrinam autem fidei datur in corda nostra, Gal. 3. Quamobrem Euangelium specificè ministerium Spiritus appellatur, 2. Cor. 3.

Precipue in Articulo Iustificationis non Lex cum suis operibus, sed Euangelium dominatur, ostendens peccatorem coram Deo absq; ullis operibus legis justificari, gratis per & propter Christum fide apprehensum. Vnde hic vel maxime convenit sartum tectum custodire discrimen legis & Euangelij: quo neglecto, horribilis illa confusio doctrine Christiane, cum primis error pestilens de operum justificatione, superioribus seculis in Ecclesiam irrepsit.

FINIS.







Farbkarte #13

B.I.G.



CULI
 eligionis,
 GE ET
 ELIO,
 æ fundamentis
 Questionum
 num per-
 ti.
 ETIAM PON-
 TINO MORVM,
 rumq; novatorum
 us eos palliant,
 argumentis.
 E P. M.
 HVNNIO,
 DOCTORE,
 Professore
 genfi,
 o Electoris Saxonie.
 ERGÆ
 pensis Iohan. Jacobi
 ancofurtensis.
 VI.